

www.e-rara.ch

Samuelis Strykii... Opera omnia

Stryk, Samuel

Francofurti & Lipsiae, MDCCXLIII.-MDCCLII. [1743-1752]

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 227

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-10732>

Disputatio decima quinta. De jure suggestionis.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

DISPUTATIO DECIMA QUINTA. DE JURE SUGGESTIONIS.

AD DIEM XXVI. SEPTEMBR, ANNO MDCXG.

RESPONDENTE

THEOPHILO EBERTO, FRANC. MARCH.

PROOEMIUM.

Cognitionem quandam cum inter homines constituerit natura, prudentissime Herennius Jctus ex eo eliciendum censuit: *Hominem homini insidiari nefas est*, L. 3. ff. de I. & I. Etenim exigit commune illud cognitionis vinculum, ut quisque alterius commoda promoveat, & damna avertat: prohibet vero fraudes in universum omnes, callidasque machinationes, ad circumveniendum jus alterius ordinatas. Hoc fine enim loquendi facultatem indulgit homini summus rerum Stator, ut alter alterius auxilium non saltem implorare, sed & alter animi sententiam fideliter roganti exponere, eidemque ingenuo consilio succurrere valeat. Piaculum itaque omnino foret, divino hoc beneficio loquelæ in damnum alterius abuti, animique sensa fraudulenter ad decipiendum alterum proferre. Hos linguæ abusus subinde notavit S. pagina, & damna inde in publicum redundantia abunde demonstravit. Jus nostrum pariter per legitimos tramites calumniantium repellit iniquitatem, *Pr. Proem. Inst.* dum non saltem maledicta qualiacunque actionem injuriarum concedendo coercet, sed &, si quid per clandestinas suggestiones in damnum alterius commissum observaverit, prompta læsis non denegare solet remedia. Cum vero in variis capitibus Juris nostri Suggestionis vitium opponi soleat, non inutilem me suscepturum operam censui, si, quid juris in ejusmodi casibus sit, colligerem, & publico conflictui exponerem. Postquam enim exantlatis examinibus ex unanimi consensu Celebratiss. Facult. Jurid. in illustri hac Viadrina inauguralis Disputatio mihi subeunda, idem thema huic proposito satis conveniens existimavi. Tua autem L. C. in antecessum exoranda benevolentia, ut, si non omnia huc pertinentia videris adducta, vel non accurate satis deducta, festinationi, quam evitare in præsentia non licuit, & ingenii tenuitati adscribas. Dabitur forte occasio supplendi hic desiderata. DEUS vero O. M. operam hanc clementissime dirigat, ut omnia ad ipsius gloriam cedant FELICITER!

CAPUT I.

DE

JURE SUGGESTIONIS IN GENERE.

S U M M A R I A.

Inroitus. n. 1.
Juris vocabulum quid hic denotet? n. 2.
Suggestionis etymologia. n. 3.
Suggerere idem est quod suppeditare & subministrare. n. 4.
Penitur etiam pro admonere. n. 5.
Denotat quoque allegare. n. 6.
Idem est quod subicere seu in memoriam redigere. n. 7.
Usurpatur frequenter a Jctis pro narrare, referre, indicare. n. 8.
Idem denique denotat quod instruere. n. 9.

Suggestio significat relationem. n. 10.
Differentia quadam inter suggestionem & relationem. n. 11.
Suggestio multoties usurpatur pro relatione falsa. n. 12.
Denotat etiam inspirationem. n. 13.
Subjectionem. n. 14.
Subjectio quid hic sit? n. 15.
Suggestionis vocabulum non videtur esse pure latinis. n. 16.
Apud Jctos est in usu frequentiori. n. 17.

Suggestus interdum idem est quod suggestio. n. 18.
Suggestus quid fuerit apud Romanos? n. 19.
Suggestus apud nos vocatur die Cantzel. n. 20.
Omnis definitio in jure difficilis teste Duaren. n. 21.
Definitio Suggestionis. n. 22.
Suggestio dividitur in licitam & illicitam. n. 23.
Non omnem suggestionem esse illicitam, secundum quosdam Dd. demonstratur. n. 24.
Suggestio porro dividitur in apertam vel palliatam. n. 25.
Quenam dicatur aperta? n. 26.

Quenam palliata? n. 27.
Palliata iterum est duplex. n. 28.
An arcana mihi concedita possim suggerere tertio? (n. 29.)
Quod negatur. n. 30.
Hujus sententia ampliatio. n. 31.
Ampliationis declaratio. n. 32.
Proposita questionis limitatio. n. 33.
An licitum sit fuga consilium suggerere? n. 34.
Quod affirmatur, si reus est innocens. n. 35.
Hujus assertionis rationes. n. 36.
Methodus hujus Disputationis. n. 37.

R Ecepti moris est, ut illi, qui disputationem aliquam conscribere cupiunt, in antecessum verba exponant, antequam ipsi materiae manum admoveant, ne omnia illorum explicatione, ipsius rei obscuritas exoriatur. Qui mores, cum legem aliquam facere videantur, & ipsius Ulpiani monito in *L. 1. ff. de R. C.* correspondeant, & me ad generalia nominisque enodationem obligant.

2 Inscribitur vero praesens Dissertatio de *Jure Suggestionis*. *Jus a Justitia* appellari patet ex *L. 1. §. 1. ff. de Just. & Jur.* derivatione non Grammatica, sed Logica. Cujus vocabuli varias significationes, nemo forte est, qui ignoret. Hoc itaque tantum addo, jus hic nihil aliud significare, quam quod justum est circa suggestionem. Vid. *Grot. de I. B. & P. lib. 1. c. 1. §. 3.* seu nihil aliud hoc vocabulo indicari, quam id, quod in jure de Suggestione traditum ac statutum est. Nec e longinquo *Suggestionis* etymon petendum.

3 Derivatam enim est vocabulum *Suggestio* a verbo *Suggerere*, hoc a praepositione *Sub* & verbo *gere*. vid. *Ambr. Calep. Lexic. sub hac voc.* Sicuti autem ipsum verbum *suggerere* ambiguum est, variasque sortitur significationes, ita pariter ex eo derivatum *Suggestio*. Perquiramus itaque primum significationes verbi *suggerere*, ut postea eo facilius constare possit, quo sensu accipitur *Suggestio*. Communiter itaque *suggerere*, ponitur pro *suppedicare* & *subministrare*. Tali significatu hoc ipsum invenire licet apud *Terent. Adelph. Act. 1. Scen. 1.* ibi:

Cur perdis adolescentem nobis? cur amat?
Cur potat? Cur tu his rebus sumtum suggeris?

& *Cicer. L. 2. d. Orat.* singulis generibus argumentorum copiam suggerunt. Sic etiam dicimus: *Tellus suggerit alimenta, Ovid. & sylvæ feras suggerunt, Plin. jun.* *Suggerere* remedium & consilium *L. 1. pr. ff. de inspic. vent.*

5 Deinde sumitur etiam pro *admonere*. Sic in *L. 13. pr. in fin. ff. de liber. & posth. hered. instit.* dicitur: ideo ad hujusmodi sententiam humanitate suggerente, i. e. admonente, decursus est, quæ verba etiam in *§. 7. I. de leg. agnat. success.* & in *pr. I. de servil. cogn. habentur*. Simili modo etiam usurpatur in *L. 79. §. 1. ff. de jud.* ibi: *Judicem oportet, prout religio suggerit, sententiam proferre, cui legi correspondent verba, L. 2. §. 5. ff. de aqu. plur.* hæc æquitas suggerit, etsi jure deficiamus. *Conf. L. 26. §. fin. ff. ex quib. caus. major. l. ult. C. de duob. reis stipul. & promitt.* vid. *L. 17. C. de dignit.* ubi hæc verba leguntur: *Juris auctoritas & rei qualitas suggestit.*

6 Porro *suggerere* etiam denotat *allegare*. Hoc sensu accipitur in *L. 8. C. ad L. Falcid.* ibi: *quibus te oneratum esse suggeris h. e. allegas.* & in *L. 37.*

ff. de legat. 3. a parte legatarii suggestum est, h. e. allegatum est. Interdum *suggerere* idem est, ac *in memoriam redigere*, & quod latine aliter dicimus, *Subjicere*. Elegans hujus acceptionis exemplum apud *Ciceronem Lib. 2. de finib. bonor. & malor.* extat, ubi inquit: *Si memoria defecerit, tuum erit, ut suggeras, & cum Terentius in Phormian. scribit: Si meministi, quod olim actum est, subjice, nihil aliud vult, quam ut suggerantur, vel in memoriam redigantur ea, quæ olim gesta sunt, vid. C. 2. Dist. 6.* Frequenter *suggerere* etiam a *Jctis* usurpatur, pro *narrare*, *referre*, *indicare*, *anzeigen*, *fürtragen*, prout videre est, ex *L. 2. §. 2. ff. ubi pupill. educ.* ubi dicitur: *nec suggestit Pratori de Statu facultatum, item: si suggestisset h. e. indicasset.* Ita & *suggerit* pars Principi *L. 1. C. ut lit. pendent.* Plura exempla hujus acceptionis legi possunt in *L. 16. C. de dignitat. §. ult. Inst. de libert. §. 7. & 12. I. de fideic. hered. l. 2. C. de offic. ejus qui vic. alie. jud. c. 15. X. de appellat. c. 5. & 20. X. de Rescript. De 21. ff. de quest. in qua lege Imperator jubet, ne iudices, qui questionem habuerunt, specia-liter interrogent, an hic vel ille, e. g. *Lucius Titius*, homicidium vel latrocinium commiserit; sed generaliter quis id fecerit? quia alterum magis *suggerentis* h. e. *instruentis*, quam *quirentis* videtur. Et in hac significatione etiam illo verbo usus est *Sigism. Scacc. de jud. l. 1. c. 86. n. 4.* *Dn. Brunn. in Proc. Civ. 20. n. 68.* qui ex *Ruland.* monet, iudicem cavere debere, ne testes instruat, i. e. ne testibus, quid testari debeant, in favorem unius vel alterius partis suggerat, sed de his pluribus nobis agendum erit. *Cap. 4.* Ab hoc verbo *Suggerere* jam descendit vocabulum *Suggestio*, cujus ambiguitas ex modo dictis luculenter satis apparet ac elucescit.*

Communiter itaque denotat *narrationem* sive *relationem*, per quam iudices vel Advocati consiliulere solebant Principem de legibus, quæ sibi invicem contrariæ videbantur. *L. 34. C. de Appellat. l. 5. C. de V. Signif. l. 2. C. de LL.* quamvis *relatio* & *suggestio* inter se adhuc differre videantur, cum in *d. l. 2.* disjunctive posita sint. vid. *Gloss. ad d. l. 2. verb. quæ ex relationibus.* Ubi notat, quod *relatio* fit absentis, *suggestio* vero presentis; vel *relationem* fieri in scriptis, *suggestionem* autem sine scriptis. Aliter hoc declarat *Bald. ad h. l. 2.* Et multoties etiam *Suggestio* pro *relatione* falsa usurpatur; unde recte dicitur, quod *suggestum* est, verum non esse, nisi contrarium probetur, *Ruin. Vol. 1. Conf. 29. n. 2. Pantschm. Quest. I. Controv. l. 2. qu. 21. n. 98.* Porro *Suggestio* denotat *inspirationem* sive *inflationem*. *6. 2. Dist. 6.* De cætero

tero quatenus suggestio in damnum alterius adhibetur, a Moralistis plerumque dici solet suffragatio, quam dicunt occultam quandam oblocutionem contra proximum, ut amicitia ipsius cum alio culta dissolvatur. Dominicus Soto tract. de I. & I. l. 5. qu. 11. art. 1. de quo prolixè egit Steph. Fagund. ad Decalog. l. 8. c. 12. r. 1. & seqq. Sæpius etiam ponitur pro subjectione Manz. de testam. valid. & invalid. Tit. 3. quest. 5. n. 14. Subjectio vero hic est suppositio rei adulterinæ pro vera. Sic Livius scribit: Qui falsus testimoniis, signis adulterinis, subjectione testamentorum, fraudibus aliis contaminati, eos capitali pœna afficiebant. Et clarius Quintil. l. 9. C. 2. ream tuebar, quæ subiecisse, i. e. suggestisse marito testamentum dicebatur. vid. l. 2. ff. ad L. Corn. de fals. unde & hoc sensu & significatu, suggestionis vocabulo in C. 3. quam maxime usi sumus.

Quamvis vero vocabulum hoc barbarum, nec puræ latinæ esse videatur, cum vix quantum memini, apud Classicum aliquem Auctorem inveniatur. Attamen illud apud J.C. in usu frequentiori est. Mentio enim illius in utroque jure sapissime occurrit. Ita in d. c. 2. dist. 6. hæc verba leguntur: sed pensandum est ipsa cogitatio, utrum in suggestionem, an delectationem, vel (quod majus est) peccati consensu acciderit. Tribus enim modis impletur omne peccatum, videlicet suggestionem, delectationem, consensu: Suggestio quippe fit per diabolum &c. item & necessaria est magna discretio, ut inter Suggestionem & delectationem &c. vid. c. 20. X. de appell. ibi: si autem adversa pars de falsi suggestionem in appellationem prorupit, add. l. 2. C. de LL. l. 12. §. 1. C. eod. §. 3. & fin. l. de libert. l. fin. C. de Verb. Signif. l. 1. C. de Advocat. divers. Jud.

Hic etiam notandum, quod Suggestus quandoque idem significet quod Suggestio, prout in tali significatione voce hac usus est Ulpianus in l. 1. §. 5. de magistr. conven. ubi ita scribit: Si curatores fuerint minus idonei dati: dicendum est, teneri Magistratus oportere, si ex suggestu eorum, vel nominibus ab eis acceptis Præses dederit, vid. Gothofr. ad dict. §. 5. lit. I. Alias Suggestus sive Suggestum apud Romanos locus erat editor, ex quo oratio ad populum haberi solebat, unde Cic. l. 9. Tuscul. Idemque cum in communibus Suggestis consistebat; & Livius l. 8. Naves Antiatiæ partim in navalia Romæ subductæ, partim incensæ, et rostrisque earum suggestum in foro exstructum adornari placuit. Hinc etiam adhuc hodie apud nos Suggestum vocant die Cantzel, seu eum templi locum editorem, unde minister Ecclesiæ conciones suas ad populum habere solet. vid. Carpz. Jurispr. Consist. l. 1. tit. 5. Def. 70.

Definitione Suggestionis nominali absoluta, ad realem transitum facio. Sicuti autem omnis fere definitio in jure, si accurata esse debet, difficilis ac periculosa est, testante Duaren. de judic. in pr. qui profiteretur, se integrum judicium consumpsisse in exploranda definitione difficili cum aliquot divisionibus; Ita & hoc loco ralem, quæ totam rem exhauriat, proferre. Quia tamen quam maxime necessaria est, &

initium omnis disputationis esse debet Cic. l. 1. d. Orat. sect. 54. Itaque nec ego eam intermitto. Definire vero Suggestionem placet, quod sit propositio rei alicujus fraudulenta, qua alterum, ad aliquid faciendum e. g. testandum, confitendum &c. inducimus. Dixi Suggestionem esse propositionem fraudulentam, non ac si omnis suggestio contineat fraudem, sed quia hac Dissertatione præcipue de fraudulenta nobis agendum erit. 22

Dividimus itaque Suggestionem in licitam & illicitam. Illicitam dicimus, quæ cum fraude & dolo conjuncta est; Licitam vero, quæ sit sine prædictis qualitatibus. Et quamvis Dd. nonnulli generaliter suggestiones in jure illicitas esse contendunt. Barbof. locupl. l. 17. C. 67. Kohl. ad Const. March. sub tit. Erbfolge zwischen Eheleuten &c. qu. 18. n. 21. allegantes in hunc finem l. 1. §. 21. ff. de quest. Hoc tamen tantum intelligendum de suggestionibus, quæ sunt a iudicibus, utpote de quibus proprie & in specie d. l. 1. §. 21. loquitur. Nam a suggestionem tanquam a peste cavendum esse iudici, ex Ambrosio. moner Dn. Brunnem. Proc. Inquis. c. 8. membr. 5. n. 64. in fin. Imo nec hæc regula universalis est, sed iudicem quandoque licite suggestivis interrogationibus uti posse infr. Cap. 4. probabimus. conf. Dn. Brunnemann. d. c. 8. membr. 1. n. 43. Et pro legitimanda hac divisione etiam faciunt, quæ Cap. 3. notabimus, demonstraturi validitatem vel invaliditatem testamentorum ad alterius suggestionem conditorum.

Subsequitur jam alia suggestionis divisio, quæ maxime ad Cap. 4. ubi de jure Suggestionis circa processum nobis agendum erit, pertinet. Estque illa Suggestio aperta vel palliata; Aperta dicitur, quando de ea aperta patet ex interrogatione, utputa, quia in inquisitione generali interrogatus sit a iudice testis, an Cajus occiderit Sempronium, ense, tali die, & in tali loco? Sigism. Scacc. de Judic. Caus. Civ. Crim. l. 1. c. 86. n. 8. Palliata vero dicitur per oppositum, quando de ea ex interrogatione non apparet; Quæ iterum sit dupliciter: Primo, quando nullo modo constat, de qua re interrogatio fuit facta, e. g. scriptum sit ad opportunas domini interrogationes, seu ad aliam interrogationem. Scacc. d. loc. Farinac. P. 3. qu. 83. n. 92. Francisc. Bardou. in Prax. Crim. cap. 68. n. 12. Secundo suggestio palliata fit, quando iudex prævenit testes in responsione, subtiliter quasi eis indicando modum respondendi, a quo genere suggestionis omnimodo abstinendum, cum tendat vel in damnum rei, vel Fisci. Scacc. d. n. 8. & n. 41.

Antequam generalia prætermittam, specia- lioribusque manum admoveam, adhuc unam vel alteram quæstionem proponere ac ventilare placet. Et quidem primo quæritur, an ea secreta, quæ mihi ab aliquo concredita sunt, tertio, quem forte res tangit, suggerere ac revelare valeam? Et Resp. suggestionem hanc plane esse illicitam, & me ad silentii fidem obligatum esse revelanti ac manifestanti. Hocque verum est, si in specie fides promissa sit, si absque ullius silentii pacto secreta manifestata fuerint. Quamvis enim posteriori casu videatur, me licite ac impune arcana ista tertio suggerere ac manifestare posse, cum cessante promissione speciali, nullus obligationis nexus subesse possit, imo alter sibi imputare de-

debeat, quod non antea in conditionem meam inquisiverit: Attamen licet promissio non ad sit expressa, aderit tamen tacita; multa quippe sunt, quæ tacite conveniuntur, quæ tamen non exprimuntur *L. 51. pr. ff. locat.* Jus deinde Naturæ vult, ut secreta velentur ac contegantur. Carpz, *Jurispr. Eccles. l. 3. Def. 25. n. 14.* Ludov. Molin. *de I. & I. Tr. 4. Disp. 5. n. 4.* cum requirit, ne faciam alteri illud, quod mihi factum nolo; jam vero haud optarem, ut alter
 32 mea secreta detegeret, ergo ab hoc & mihi abstinendum erit. Sed hoc intelligo, modo ulla ratione constare possit, sub nomine secreti aliquid commissum esse, quod ex ipsis circumstantiis dijudicandum. Optima vero nota est, cum hoc expresse inter nos actum apparet, ubi, si fidem meam dederò, ad silentium obligor. Grave enim est fidem datam fallere *L. 1. pr. ff. de Const. pecun.* Cum nihil tam congruum fidei humanæ sit, quam ea, quæ inter nos placuerunt, servare. *L. 1. pr. ff. de pact.* Quod si contra fe-
 33 cero, alteri injuriarum teneor. Molin. *d. Disp. 5. n. 4.* Quod tamen ita moderandum, ut procedat, si illud, quod fidei meæ commissum ac demandatum est, in se non contineat delictum vel turpe aliquod factum perpetrandum. Malum enim committendum licite & absque delicto suggerere possum illi, cui hoc imminet. Et hoc in tantum ampliatur, ut etiam ipsam personam nocituram nominare possim, si generales admonitiones periculum imminens avertere haud valeant, cum minans damnum istud, quod forte sensurus est, sentire non intelligatur, utpote quod sua voluntate, dum non desistit, patitur, vid. *Disp. Dn. Præsid. de credent.*
 34 *revel. cap. 5. n. 2. & seqq.*

Ultimo tandem adhuc quærere libet, an fu-

gam five consilium & modum fugæ reo seu inquisito suggerere licitum sit? Hanc quæstionem tractat Dn. Brunnem. *tit. de custod. & ex. bib. reor. qu. 14.* qui eam negative decidit. Quæ sententia Dn. Brunnemann. utique vera est, si ea intelligatur de casu, ubi reus seu inquisitus ex justa causa incarceratus est. Sivero talis formetur casus, ubi quis injuste detinetur, & inevitabile subsit periculum, illudque non leve, sed permagnum, e. g. mortis vel amissionis membrorum, contrarium verius videretur. Cum enim hoc casu ipsi reo concessum sit, etiam quoad forum internum, fuga sibi consulere five per effractionem carceris, five per occisionem ministrorum comparata. Myns. *Cent. 6. Obs. 98. n. 5.* Farin. *qu. 30. n. 121-122.* & 132. Mascard. *de Probat. vol. 2. Concl. 821. n. 17.* Consequenter & alteri licitum erit, ut fugæ consilium suggerendo incarceratum liberet. Zæf. *ad ff. d. tit. n. 27. ab init. confer. n. 29.* Primo enim hæc suggestio Reipubl. haud damnoſa existit, utpote cui jus exigendi penam, cessante delicto, non competit. Deinde consilium suggerens ad hoc legibus naturalibus adstringebatur. Proximum enim diligere debemus, sicuti nosmet ipsos *Matth. 22.* & eos eruere qui ad mortem ducuntur *Prov. 24. v. 11.* Unde & Seneca inquit: *Si justus es, non solum non nocebis, sed etiam nocentes prohibebis.* Plura de hac quæstione vid. apud. Steph. Fagund. *ad Decalog. L. 8. c. 33. per tot.* Et tan-
 37 tum de generalibus præsentis materiæ. Progreſſior jam ad specialiora, tractaturus (1.) de jure suggestionis circa Rescripta Principum. (2.) De jure Suggestionis circa ultimas voluntates, & denique (3.) de jure Suggestionis circa Processum. Sit itaque

CAPUT II.

DE

JURE SUGGESTIONIS CIRCA RESCRIPTA PRINCIPUM.

S U M M A R I A.

Rescripta hodie obreptitia sunt frequentia. n. 1.
 Obreptio & suggestio falsa hic non differunt. n. 2.
 Subreptio an idem sit, quod obreptio. n. 3.
 An rescriptum obreptitium sit nullum. n. 4.
 Rescripta gratiæ & justitiæ quomodo differant? n. 5. & 6.
 Rescripta gratiæ sunt ipso jure nulla, justitiæ vero annullantur opposita exceptione. n. 7. & 8.
 Ratio differentia. n. 9.
 Præcedens assertio cum declaratione aliqua ampliatur. n. 10.
 Clausula, si preces veritate nitantur, hodie inest omni rescripto; aliud I. Civil. n. 11. & 12.
 Princeps rescribens ad plures causas suggestas, quarum aliqua existunt falsæ, an rescriptum corruat? n. 13.
 Respond. distinguendo. n. 14.
 Rescriptum continens diversa capitula, quorum alterum est vitiosum, ob falsam suggestionem, an reliqua simul annullentur? n. 15.

Distinguitur, an capitula sint separata an connexa? n. 16.
 Illo casu quæstio negatur. n. 17.
 Quod assertum a Trentacinq. declaratur, quæ tamen declaratio rejicitur. n. 18. & 19.
 Posteriori autem casu affirmatur quæstio. n. 20.
 Rescriptum ad falsam suggestionem esse impetratum asserens probabit. n. 21.
 Exceptio falsæ suggestionis quando opponenda? n. 22. 23. & 24.
 Hanc exceptionem iudex sub pena admittet, nisi sit calumniosa. n. 25. & 26.
 Exceptione hac ab opponente probata, suggerens condemnatur in Expensas. n. 27.
 Rescriptum contra a jus divinum, civile & consuetudinarium impetratum, presumitur obreptitium. n. 28. 29. & 30.
 Tale rescriptum iudex non debet attendere. n. 31. 32. 33. & 34.

Rescri-

Rescriptum jus tertii ledens censetur ad falsam suggestionem impetratum. n. 35. 36. & 37.
Eadem præsumptio est de rescripto posteriori, si in illo non fiat mentio prioris. n. 38.
Quod tamen limitatur. n. 39.
Clausula, motus proprii, quando tollat præsumptionem falsæ suggestionis. n. 40. usque ad 44.

Quid sentiendum de clausula, remotis quibuscunque exceptionibus, & de clausula, non obstante? n. 45.

De pœna falsæ suggestionis. n. 46. usque ad 49.

An quis possit per suggestionem ac susurrationem alium excludere ab amicitia Principis, & se loco illius in illam insinuare? n. 50. & seq.

n. 1. quam clausulam alias rescripta Jure Civil. 12 expresse insertam habere debebant. l. f. C. de divers. rescript. Eckolt. ad ff. tit. de Const. Princ. §. 3. Trentacinqu. d. l. 1. Resol. 7. n. 1. & seqq. Lauterb. d. th. 40.

Sed quid si Princeps ad plures causas a subdito vel parte suggestas rescripserit, una vero vel altera causa postea deprehendatur falsa; an rescriptum erit nullum an validum? Distingu. 14 an Princeps rescribens ex pluribus causis suggestis simul consideratis moveatur, an vero non, sed tantum ex una vel altera. Priori casu rescriptum sua carebit efficacia. Cum enim aliquid sit ob plures causas simul consideratas, omnes illæ causæ existere ac adimpleri debent arg. l. 6. ff. de condit. Inst. Posteriori casu, pro rescripto respondendum. Quod si enim in rescripto duæ adjectæ sunt causæ, quarum una est vera altera falsa, rescriptum interpretandum, ut censeatur concessum ob illam causam, quæ vera, existit, non quæ falsa. Menoch. de Præs. l. 6. pr. 4. n. 17. conf. Masc. de Prob. V. 1. concl. 325. n. 8. quia in dubio actus in meliorem partem est interpretandus, ut potius valeat, quam pareat. arg. l. 80. ff. de V. Obl. l. 12. ff. de reb. dub. Mascard. Vol. 2. Conclus. 596. Roland. a Vall. l. 23. Conf. 61. n. 23.

Non multum a præcedenti casu differt quæstio, an si rescriptum diversa contineat capitula, in uno vero ob falsam suggestionem commissum sit vitium, totum rescriptum corruat, etiam quoad reliqua capitula, an vero reliquis 16 falvis, solum vitiosum ac suggestivum annulletur? Quæ quæ iterum distinctione decidenda. Aut enim illa capitula plane sunt separata, nec aliquam inter se habent connexionem, v. gr. si rescriptum contineat diversas gratias, aut concernat diversas personas; Aut ita sunt connexa, 17 ut unum ab altero separari haut possit. Priori casu falsa illa suggestio in uno capitulo commissæ illud capitulum quidem vitiat, reliqua tamen ea propter haud invalida redduntur. Gail. l. 1. Obs. 14. n. 5. Masc. d. Concl. 325. n. 5. Cum utile per inutile non vitiatur in iis, quæ sunt divisibilia & separabilia. C. 37. d. R. I. in 610. Peregr. l. 3. conf. 29. n. 14. Carpz. p. 2. C. 14. D. 21. n. 3. & 4. & pœnalia regulariter sint restringenda, non extendenda. Strauch. th. 49. Hæc sententia tamen 18 secundum Trentac. Var. Res. l. 1. Res. 5. n. 22. vers. hic primus casus, declaratur, ut non procedat in suggestionem seu obreptionem dolosa; quia tunc omnia contenta in rescripto vitiuntur, licet rescriptum contineat plura separata. Verum 19 hæc declaratio an vera sit, dubito, cum pœna regulariter culpam & delictum excedere non debeat. Et præcipue fallit, si rescriptum concernit diversas personas, quia alter propter alterius delictum puniri non debet. Posteriori casu, uno capitulo ob falsam suggestionem annullato; totius rescripti vis & efficacia corruit. Connexa enim sive conjuncta unum

Absolutis generalibus, ordo connexionis ad specialia me revocat, & quidem primo ad jus suggestionis circa Rescripta Principum. Cum enim hodiernis temporibus rescripta sint frequentia, quibus varia privilegia beneficiaque impetrari solent, imo vix una lis invenitur, in qua rescripti alicujus usus non sit, sæpius evenire solet, ut contra rescripta disputetur, quod sint injusta, & ad falsam partis vel supplicantis suggestionem (quod non raro contingit. Perez. ad Cod. tit. si contr. jus vel util. n. 1.) impetrata & concessa. Ideoque me non mali factum arbitror, si quædam hoc capite de suggestionibus circa rescripta Principum proponam.

Et primo quidem notandum, suggestionem hic nihil aliud denotare, quam falsi exceptionem, seu ut aliter in jure dicimus, obreptionem, quæ falsi allegatio dicitur Damhoud. in Prax. Crim. c. 121. n. 2. Gail. l. 1. c. 14. n. 4. quamvis adhuc dubium sit inter Dd. an talis falsi allegatio & expressio, obreptio vel subreptio dicenda sit, vid. Trentacinqu. var. resol. lib. 1. res. 5. n. 1. posterius statuit Rebuff. in Commentar. ad Constit. Reg. tract. de Rescript. n. 125. Verum rectius dicimus, nullam hic subesse differentiam, unde & hodie idem erit, siue falsi suggestionem dixeris subreptionem, siue obreptionem Strauch. Diff. de Stat. a Summ. Princ. th. 48. Sed anne tale rescriptum, quod falsis suggestionibus a Principe imperatum est, erit ipso jure nullum, an validum? Distingu. hic inter rescripta gratiæ, & justitiæ. Illa sunt, quando Princeps ex liberalitate aliquid, e. g. officium, supplicanti concedit, Strauch. d. th. 48. Perez. ad Cod. tit. d. divers. rescript. n. 2. Hæc dicuntur, quæ pertinent ad justitiæ executionem, & judicii, quid sequi debeat, ostendunt, c. pastoralis, & c. super literis X. de rescript. Rebuff. in Comm. ad Const. reg. d. tract. n. 116. Illa ob vitium falsæ suggestionis sunt ipso jure nulla Trentacinqu. d. res. 5. n. 2. Perez. d. loc. n. 4. Pantiſchm. quæst. jur. contro. l. 2. qu. 21. n. 69. quia mendax precator carere debet impetratis c. 15. X. de rescript. l. etsi legibus 5. C. si contr. jus. Gail. l. 1. Obs. 14. n. 3. Hæc vero non sunt ipso jure nulla, sed ope exceptionis elidenda. Trentac. n. 9. Lauterb. in Colleg. theoretico pract. ff. tit. de Const. Princ. th. 10. Ruin. Vol. 1. Conf. 28. n. 3. & 8. Rebuff. d. tract. n. 134. Ratio vero differentiæ est, quod rescripta gratiæ magis odiosa sint, ob vitium ambitionis & majoris præjudicii, quam rescripta justitiæ. Strauch. d. Dissert. th. 48. Et dicta in tantum ampliuntur a Trentacinqu. n. 4. & 5. ut rescriptum non valeat, etiam si per simplicitatem & ignorantiam suggestio Principi fuerit facta; quod concedo, si constet, Principem non aliter fuisse rescriptum, quam si causa suggesta extiterit vera, vel si preces veritate nitantur. Perez. ad Cod. tit. si contr. jus n. 3. Quæ clausula, si preces veritate nitantur, hodie in omnibus rescriptis tacite subintelligitur. c. 2. X. de rescript. Mev. P. 2. Dec. 198. n. 3. Gail. lib. 1. Obs. 14. Vol. VI. Disp. XV.

unum & idem esse existimantur, ac pro uno habentur. Crav. V. 1. Conf. 102. n. 1. Menoch. de A. I. Q. Cas. 95. n. 5. & 9. Unde & connexorum idem est iudicium, Sigism. Scacc. de iudic. l. 2. c. 11. n. 307. unda itaque vel altera parte existente vitiosa, necesse erit, ut etiam totum eodem laboret vitio.

21 Quis vero probabit, rescriptum esse obreptitium, & ad falsam ac dolosam suggestionem impetratum? Resp. probationem incumbere excipienti, seu qui falsam & dolosam suggestionem adhibitam esse asserit, Strauch. d. th. 49. Trentac. d. Res. 5. n. 23. Brunn. ad l. 5. C. si contr. jus Perez. ad C. t. eod. n. f. Regular. enim affirmanti incumbit probatio, omnisque praesumptio est doli ac delicti exclusiva. Unde qui dolum admissum dicit, eum probare debet 18. §. 1. ff. de Prob. conf. Br. in l. E. l. 2. c. 18. §. 52.

22 Sed quo tempore hæc falsæ suggestionis exceptio erit opponenda? Resp. Trentac. d. Res. 5. n. 25. ante litem contestatam, si in modum except. dilatoriae opponatur, non secus, ut aliae except. nudæ dilatoriae l. ult. C. de exc. Zæf. ad

23 ff. d. tit. n. 8. Post litem vero contestatam, si

24 in modum except. peremptoriae opponatur. Ita etiam statuit Rebuff. d. tr. Resc. n. 138. quamvis hic dicta restringat ad rescripta gratiosa. In rescriptis enim iustitiæ regular. in litis initio falsæ suggestionis exceptionem opponi debere

25 censet, conf. Barbof. locupl. l. 17. c. 67. Opposita hac exceptione iudex eam admittere debet sub pœna X. lib. auri l. 3. C. si contr. jus. & excipientem ad illius probationem compellere Rebuff. d. tract. n. 126. Mev. p. 2. dec. 183.

26 Nisi exceptio illa sit notorie falsa & calumniosa, ubi iudex ea non attendit, nihilominus in causa procedere valet, Zang. d. except. p. 2. c. 17. n. 18.

27 Si vero excipiens ad eam probandam admittatur, falsamque suggestionem probaverit, absolvitur, & suggerens in expensas condemnatur Zang. d. cap. 17. n. 20. Gail. l. 1. O. 14. Mynsing. cent. 4. O. 8. n. f. Mev. p. 2. dec. 197. n. 3. & 4.

28 Diximus superius, falsam suggestionem probari debere ab allegante. Jam addo, multa dari rescripta, quæ regulariter falsis suggestionibus extorta præsumuntur. Et inter talia primo refertur, quod contra jus & utilitatem publicam est. Princeps enim, si tale aliquid rescripserit, ad falsas suggestiones & importunitates supplicantium hoc fecisse præsumitur c. f. de Resc. in 6to. Mev. p. 1. dec. 143. n. 4. Princeps enim nunquam censetur velle, nisi iusta Mev. d. loc. n. 6. Trentac. d. l. 1. Resol. 6. n. 1. Gail. 2. c. 76. n. 8.

29 & 9. Nec interest, utrum rescriptum sit contra jus Divinum & Naturale, an contra jus Civile. Illis enim inferior est, nec de iis disponendi aliquam facultatem habet; Hoc vero, uno rescripto, & unius personæ intuitu, intervertere voluisse non præsumitur, utpote quod tot vigiliis excogitatum est l. 35. C. de inoffic. test.

30 Idem est, si contra jus consuetudinarium rescribat. Rebuff. d. tract. n. 70. vers. etiam non valet. Hinc si Princeps rescribat contra Recessus Imperii & generalem omnium iudiciorum observantiam, actorem debere esse præsentem examini testium falsis & dolosis suggestionibus circumventus præsumitur. Gail. l. 2. obs. 58.

31 n. 2. Unde iudex talia rescripta, tanquam ob-

reptitia, attendere non debet. Nec obstat, 32 quod de potestate Principis disputare non sit licitum, cum hoc sit instar Sacrilegii l. disputare 3. C. de Crimin. Sacrileg. Hic enim non de potestate, sed scientia Principis disputatur; quia nonnunquam male ob falsas suggestiones instruitur bonus Princeps, atque inaverecunda petentium inhiatione constringitur l. 1. C. de petition. banor subl. Mev. p. 1. dec. 143. n. 1. Aequo 33 ergo animo Princeps ferre debet, si iustitia & veritas defenditur; quorsum & illud Pontificis in c. si quando §. f. X. de Rescrip. spectat: patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis insinuatione fuit suggestum. Et hoc 34 etiam procedit, etiam si non cognitio, sed executio, mandata fuerit, nam adhuc executor cognoscere potest, imo debet, an narrata, & quæ rescriptum emandavit, ita se habeant, & si deprehendit obreptive seu ad falsas suggestiones impetratum esse rescriptum, executionem sistere debet l. 4. C. si contr. jus l. 1. C. de divers. rescript.

Porro obreptitium rescriptum etiam præsumitur, si jus tertii læditur, Mascard. d. probat. concl. 1007. n. 23. Jus enim alicui quæsitum Princeps auferre nec potest, nec vult, nisi fiat de plenitudine potestatis, qua tamen vii velle non præsumitur, nisi hoc in rescripto exprimat. Gail. lib. 2. cap. 56. n. 13. Hinc si Prin- 36 ceps, altera parte inaudita, rescripto mandat, ut alteri auferatur possessio, mandatum illud ad importunas & falsas suggestiones datum censetur Gail. d. l. 2. c. 76. n. 8. & 9. Idem esset, 37 si rescripto imperaret, ut lis transactione semel sopita, de novo in iudicio tractetur. Obser- 38 vandum etiam, quod si duo adsunt rescripta sibi invicem contraria, & in posteriori non facta fuit mentio prioris, posterius præsumatur esse subreptitium, & ad falsam suggestionem impetratum Rebuff. de Rescript. n. 87. Mutans enim sententiam suam, falsis suggestionibus circumventus præsumitur, vid. Mev. p. 2. dec. 182. n. 5. Quamvis posterius rescriptum, si 39 ille, qui hoc impetravit, probare possit, primum fuisse obreptitium, sua non destituatur efficacia, etiamsi prioris non facta fuerit mentio Menoch. de Præsumpt. l. 6. pr. 4. n. 15. cum hoc habeatur ac si nunquam extitisset.

Habuiamus hucusque rescripta præsumptive 40 obreptitia & ad falsam suggestionem impetrata. Jam etiam videbimus contraria, seu illa, quæ suspicionem suggestionis tollunt, vel tollere videntur. Et quidem primo volunt, clausula motus proprii, tollere omnem præsumptionem falsæ suggestionis, modo de illa clausula expresse constat, c. si motu proprio. 23. de Præbend. & dignit. in 6to. Principi enim motu proprio be- 41 neficium aliquod concedenti, suggestio & pe- facta dici nequit, cessante supplicatione & petitione illius, cui hoc conceditur. Quia quod motu proprio indulgetur, ex mera liberalitate proficiscitur d. c. 23. Ex quo sequitur, quan- 42 do Principi fit narratio & supplicatio, & requiritur, ut gratiam faciat, licet tunc dicat, se illis suggestionibus moveretur, non obstante hac clausula proponi potest, falsæ suggestionis exceptio. Sæpe enim dicta clausula ponitur ad continuam & importunam instantiam sup-

supplicantis. Trentacinqu. de Res. 5. n. 32. & 33. Unde in rescriptis justitiæ & ad lites illa clausula nihil operatur, sed continuo prædicta exceptio obstat, cum Princeps hic sine partium supplicatione ac sollicitatione raro rescribere soleat. Trentacinqu. n. 35. Confer Dn. Præf. Disput. de Motu proprio Principis. Quid vero dicendum, de clausula, remotis quibuscunque exceptionibus, an & hæc virtute tollendi exceptionem falsæ suggestionis gaudet? Resp. negand. Trentacinqu. d. l. n. 36. quod & idem sentit de clausula, non obstante n. 38.

Restat, ut ultimo hoc loco de pœna falsum suggerentis agam. Ubi tenendum, eum, qui aliquid obreptionis contra Scitæ impetraverat, olim præter confiscationem tertiæ partis bonorum infamia notatum fuisse. L. un. C. de Scit. quam pœnam hodie non observari tradit Dn. Brunn. in Comment. ad d. l. unic. De Jure ff. pœna falsi puniatur l. si quis obrepserit 29. ff. de Leg. Cornell. de fals. Menoch. d. A. I. Q. Cas. 314. n. 1. & 9. Ubi docet, quod si supplicans mentitus fuerit per obreptionem, tunc quia falsarii nomen obtinet, atque ita illud criminis nomen specificum consequitur, falsi etiam pœna dicitur sit. Quorsum etiam pertinet, quod notat Pruckm. vol. 1. Conf. 28. n. 17. & 18. falsam suggestionem tanquam mendacium esse puniendum, cum dolum Semper conjunctum habet. Pœna vero falsi, cum sit arbitraria, etiam quandoque ad mortem extendi potest, si quis

per falsam suggestionem Principi factam rescriptum impetravit, Menoch. d. cas. 314. n. 6. quod eo casu facile contingere potest, si quis obreptionis impetravit rescriptum, quo judici severissime injungitur, ut hunc vel illum e. g. Tirium, confestim & sine mora morte afficiat. Ubi si mandatum executioni datum, suggerens probata ipsius dolosa suggestionem, pariter tanquam homicida capitis supplicium luere debet. Quanquam judex tale mandatum severissimum non statim exequi, sed potius per 30. dies supplicium differre debeat. l. 20. C. de Pen.

Cæterum an quis possit ob propriam utilitatem per susurrationem & suggestionem alium excludere ab amicitia & gratia Principis, & se loco illius insinuare, vid. apud. Fagund. ad Decalog l. 8. c. 12. n. 6. Ubi distinguit, an illa susurratio & suggestio contineat fraudem & dolum; an vero non, e. gr. si Principi suggeram defectus aliquos ejus naturales, veros tamen & publicos, ut hoc casu suggestio sit licita, cum unusquisque sine fraude alterius possit proprium commodum procurare, & quilibet jus habeat illud procurandi, etiam si alter per consequentiam lædatur. arg. l. fluminum. 24. §. ff. d. damn. infect. illo vero casu, suggestio plane sit illicita. Et huc etiam pertinet, quod tradit B. Zigl. d. offic. judic. concl. 9. eum peccare, qui famam competitorum falsis suggestionibus & obreptionibus onerat, ut illis exclusis, judicis officium impetret.

CAPUT III.

DE

JURE SUGGESTIONIS CIRCA ULTIMAS VOLUNTATES.

SUMMARIA.

Transitio. n. 1.
Testamenti præcipua pars est heredis institutio. n. 2. & 3.
Testamentum conditurus cautus sit in herede instituendo. n. 4.
Ad heredis institutionem quid requiratur? n. 5.
An possit fieri ad alterius suggestionem? n. 6.
Quando dicatur fieri ad alterius suggestionem? n. 7.
Proposita questio dicitur a Dd. ardua. n. 8.
Cujus decisionis fundamentum ex Gloss. desumitur. n. 9.
Opinio Glossæ quomodo recepta? n. 10.
Heres ab ipso testatore debet nominari, ut removeatur suspicio falsi. n. 11.
Quæ suspicione cessante, testamentum recte conditur ad alterius suggestionem. n. 12. 14.
Quæ sententia procedit tam in scripto quam nuncupativo testamento. n. 15.
Distinguitur tamen inter testatorem sanum & ægrotum. n. 16.
Illo casu quædam admittuntur ampliationes. n. 17.
Hoc vero casu, a Dd. requiritur, (1.) animus testandi, (2.) vox articulata, (3.) libertas voluntatis. n. 19. & 20.
Animus testandi unde colligatur? n. 21.
Non adest ille animus, si suggerens est subornatus ab alio. n. 22.
Menochii opinio contraria, ejusque rejectio. n. 23.
Articulate loqui quid sit? n. 25. 27.
Vol. VI. Disput. XV.

Testamentum ad importunam suggestionem conditum non valet. n. 28.

Importuna suggestio non præsumitur. n. 29.

Colligitur tamen ex minis, & si suggerens est suspectus. n. 30. 31.

Testamentum uxoris non valet, si ad continuam mariti interrogationem factum, n. 32. 34.

Metus reverentialis intervenientibus suggestionibus dispositionem vitiatur. n. 35.

Testamentum ad meticulousam suggestionem conditum est ipso jure nullum. n. 36. & 40.

Respondetur ad rationes dissentientium. n. 41. & 42.

Prioris assertionis ampliatio. n. 43.

Hereditas ad meticulousam suggestionem relicta, non cedit Fisco, sed Heredibus ab intestato. n. 44. & 45.

Resp. ad contraria. n. 46. 49.

Testamentum ad dolosas suggestiones factum an valet? n. 50.

Dolosa suggestio non præsumitur, sed indicibus probanda. n. 51.

Quenam illa indicia sint? n. 52. 53. & 54.

Proposita questio deciditur negative, n. 55. 56.

Rationes hujus sententiæ. n. 57. 61.

Illius ampliatio. n. 62. 63. & 64.

Revocatio prioris testamenti ad falsam suggestionem facta nullius est momenti. n. 65. 67.

Remotio contrariorum. n. 68. 70.

Quenam detur actio heredibus, in hoc priori testamento institutis, & per falsas suggestiones exclusis? n. 71. 72. & 73.

colligitur, si testator mandaverit scribi testamentum ad inrerrogationem vel suggestionem Notarii, aut aliter verbis declaraverit, quod testari vellet, aut si Notarius tertiusve aliquis ad hoc sit specialiter vocatus & adhibitus a testatore. Dauth. d. n. 234. p. 199. vers. ut denique Berlich. P. 3. Concl. 6. n. 25. & seqq. Si enim suggerens & interrogans ab alio, forte herede instituto, est subornatus & adhibitus, testamentum non valebit, etiam si testator affirmative responderit, quia hæc dispositio fraudis suspicione non caret, Kohl. d. qu. 18. n. 19. & seqq. Berlich. d. P. 3. Concl. 7. n. 6. Menoch. d. Præf. l. 4. pr. 12. n. 3. Mantic. de Conject. ult. volunt. l. 2. tit. 6. n. 10. ubi hanc opinionem magis communem, rationabilem & æquioram attestatur, vid. Manz. d. tract. tit. 3. qu. 5. n. 22. Bertrand. Vol. 1. Consil. 242. n. 8. Scacc. de judic. Lib. 1. C. 86. n. 7. vers. proharur major. Carpz. P. 3. C. 5. Def. 4. n. 7. & seqq. Et licet Menoch. dist. Præf. 8. n. 28. contrarium teneat, ob rationem, quia ipsi liberum fuit, affirmative vel negative respondere. Attamen hæc ratio vix concludens est, nam fieri potest, ut testator gravi morbo oppressus & morti vicinus ita respondeat, ut se liberaret a vexatione & molestiis adstantium, & affirmando forte respondisset, etiam si interrogatus fuisset, an Mevium occiderit?

Secundo requirebatur vox articulata, h. e. ut testator possit articulate loqui; si enim ita fari non possit, mortuo comparandus est, unde falsitas facile committi & fabricari potest, Flam. de Rubeis Tom. 2. Conf. 5. n. 131. Ruin. Tom. 2. Conf. 2. n. 1. Mantic. d. tract. tit. 6. n. 2. Manz. d. qu. 5. n. 14. & 15. Quid vero sit articulate loqui, & an pro articulata locutione habendum sit, si testator respondeat sic, vel ita volo, vid. Dauth. d. testam. d. n. 234. p. 196. vers. aut dubiam. Gothofr. ad l. 15. C. de testam. lit. y. Mantic. d. tit. 6. n. 8. & 9. Observandum tamen, pro inarticulata locutione non haberi, licet testator balbutientem & crassam linguam habuerit, l. 15. C. de testam. modo ex ejus loquela concludi possit, eum sanæ mentis fuisse. Carpz. d. Const. 5. d. 2. n. 4.

Denique necessum est, si testamentum ad alterius suggestionem conditum valere debet, ut testator sit libera voluntatis. Si enim importuna suggestio adortus suggerenti respondeat, testamentum nullius erit momenti, Tiber. Dec. vol. 2. Conf. 65. n. 14. Licet vero importuna & meticulousa suggestio regulariter non presumatur, quia omnis præsumptio delicti, & sic quodque merus illati, est exclusiva. Mantic. d. Tr. tit. 7. n. 1. & 2. Attamen ea præcipue ex minis colligitur, quæ licet regulariter ad actus inter vivos annullandos non sufficiant, arg. l. 9. d. his qu. vi met. in testamentis tamen nullitatem operantur, si testator est ægrotus. Mantic. d. tit. 7. n. 4. Proinde importuna suggestio & metum aliquem inferens, etiam præsumitur, si persona suggerens est suspecta, v. gr. si testator sub ipsius est cura, vel si est consanguinea testatoris. Tunc enim attentata qualitate suggerentis & statu ægroti, forte quia valde infirmus est, vehemens origines suspicio, quod ad importunam illorum suggestionem responderit. Carpz. p. 3. Const. 5. Def. 6. Menoch. d. Præf. 8. n. 29. Kohl. d. qu. n. 29. Mev. Conf. 68. n. 22. & 23.

Hinc si maritus stet super caput uxoris ægro-

antis, & frequentissime interroget, an non sibi velit relinquere hereditatem, vel certam partem, etiam si uxor postea respondeat affirmative, dispositio tamen nihil valebit. Licet enim blanditiæ in ultimis voluntatibus permixtæ sint, Magnif. Dn. Præf. in Diss. d. jur. blandit. c. 4. n. 1. & seq. blanditiæ tamen instantissimæ habent vim minarum, & sic metum quendam inferunt. Peck. de testam. conjug. l. 1. c. 9. n. 8. & 9. Conf. Reusn. l. conf. 17. n. 39. Carpz. d. loc. n. 5. Proinde in dicto casu etiam concurrat metus reverentialis, qui licet, secundum veriore opinionem, solus non sufficiat ad infringendum testamentum, sufficit tamen, si suggestiones interveniant, Farin. d. falsit. & simul. qu. 116. n. 38. vid. Gothofr. ad l. f. C. si quis aliqu. test. prob. lit. Q.

Sed an testamentum ad importunam & metum tuculofam suggestionem conditum ipso jure erit nullum, an vero rescindendum? Resp. esse ipso jure nullum. Dum enim testator ad importunam suggestionem responderit, non libere disponit, sed quasi metu coactus. Ultimæ vero voluntatis liber stylus esse debet l. 1. C. d. SS. Eccl. cui libertati nihil tam contrarium est, quam metus, l. 116. ff. d. R. I. Deinde ultima voluntas non debet pendere ex alieno arbitrio l. illa institutio. 32. ff. d. hered. instit. ergo nec ex arbitrio importune suggerentis, quia non tam testantis quam suggerentis voluntas esset, quale testamentum, tanquam imperfectum ratione voluntatis, non valet, etiam si esset dispositio inter liberos. Mev. d. Consil. 68. n. 22. Huc etiam facit l. 20. §. f. ff. qui test. facer. ubi testamentum dicitur invalidum, si testes inviti sunt detenti, multo magis ergo hoc verum est, si testatori metus illatus.

Ad rationes dissentientium, inter quos est Fachin. l. 10. contr. jur. c. 15. Harpr. ad Inst. tit. de testam. ordinand. pr. n. 42. & seqq. responderetur, licet coacta voluntas sit etiam voluntas, hæc tamen voluntas in testamento non sufficit, sed liberrima requiritur, ut in matrimonio. Manz. de testam. valid. & invalid. tit. 3. qu. 1. n. 18. Pansichm. Qu. Iur. Controv. l. 2. qu. 22. n. 36. Menoch. de A. I. Q. Lib. 2. Cent. 4. c. 395. n. 7. Unde nec verum est, quod dicunt, restitutionem in integrum hoc casu locum habere, ut in contractibus. Edictum enim hoc Prætoris minime ad ultimas voluntates pertinet, sed tantum ad contractus Lauterb. in Colleg. Theorico pract. tit. quod met. caus. §. 3. Hahn. ad Wesenbec. tit. si qu. aliqu. test. prob. n. 1. Et hæc sententia in tantum ampliat, ut testamentum ad importunam suggestionem conditum sit nullum, etiam si non suggerens, sed tertius heres institutus sit, quia adhuc libera voluntas deficit. Manz. d. tract. tit. 3. qu. 1. n. 34. & seq. Kohl. d. qu. 10. n. 33. Dauth. de testam. n. 21.

Ex dictis facile apparet, quid sentiendum sit de illa quæstione, satis etiam inter Dd. controversa, scil. an hereditas, ita ad immoderatam & meticulousam suggestionem suggerenti relicta, cedere debeat Fisco, vel heredibus ab intestato? Communis Dd. sententia Fisco favet, & huic hereditatem addicit, ita tamen, ut heredibus ab intestato, qui propter importunam hanc suggestionem præteriti sunt, concedat actionem ad interesse contra suggerentem, si est solvendo, vel regressum contra Fiscum, si suggerens solvendo

- vendo non existit Mantie. de Conject. ult. Vol. lib. 2. tit. 7. n. 6. Peregrin. de jur. Fisc. lib. 2. tit. 6. n. 2. Farin. de fals. & simulat. q. 161. n. 8. & seqq.
- 46 Menoch. de A. I. Q. d. Cas. 395. n. 10. Verum cum horum opinio maxime pro fundamento habeat, quod tale testamentum valeat, & hereditas ab instituto & suggerente tanquam ab indigno auferatur. arg. l. 1. si qu. aliqu. test. prob. hoc vero superius ex adductis rationibus negatum fuerit, merito iterum a communi sententia recedimus. Quod enim quis nunquam acquisivit, illud amittere non potest, quia omnis privatio supponit habitum; acquirere vero hereditatem non potuit ob delictum commissum, quod nemini commodum afferre debet l. 12. ff. de dol.
- 47 Deinde importuna & meticulosa illa suggestio illis, quibus ex dispositione juris debetur hereditas, nocere non potest, quia alter propter alterius delictum puniri non debet Carpz. P. 3. Const. 5. Def. 16. Dn. Brunnem. ad l. 1. C. si qu. aliqu. test. prob. Dn. Præf. in Tract. de Success. ab intest. Diff. 12.
- 48 c. 1. §. 20. Nec obstat, quod delictum hoc suggerentis impunitum manere non debeat: Alia enim ratione pro arbitrio iudicis puniri potest. Farin. d. qu. 161. n. 2. & 3. vid. Perez. ad C. si qu. aliqu. test. prob. n. f. ubi hanc sententiam moribus observari tradit; & ita in Ampliff. hac Facultate A. 1653. pronunciatum esse refert Brunn. ad l. f. ff. d. t. n. 11.
- 50 Vidimus hucusq. quid juris sit, si testator ad meticulosas & importunas suggestiones condiderit testamentum. Nunc etiam videndum, quid obtineat, si testator per dolosas & fraudulentas suggestiones ad testamentum condendum
- 51 inductus fuerit. Et primo sciendum, dolosam suggestionem regulariter non præsumi, sed eam per indicia perspicua probandam esse ab eo, qui testatorem dolo inductum esse asserit. arg. l. dolum 6. C. de dol. mal. Farin. de falsit. & simul. qu. 161. n. 44. Pansch. quest. jur. controuv. l. 2. qu. 21.
- 52 n. 152. Quæ autem conjecturæ & indicia illa sint, vid. Menoch. d. Præf. l. 7. pr. 12. & l. 5. præf. 3. n. 42. Masc. de Probat. Vol. 2. Conclus. 522. Berlich. P. 3. Conclus. 7. n. 3. & seqq. Et inter alia dolus præsumitur, si quis mendacium dixerit, Carpz. P. 3. C. 5. Def. 8. n. 4. Alex. l. 1. Conf. 63.
- 53 Nam suggerendo falsum, & persuadendo id, quo non erat, censetur fraus commissæ ex proposito. Panschm. d. qu. 21. n. 123. Riminald. Conf. 342. n. 73. Menoch. d. Præf. l. 5. pr. 3. n. 58. Præcipue si mendacium redundet ad utilitatem mentientis, Menoch. d. l. n. 62. Ruin. Vol. 1. Confil.
- 54 29. n. 6. Tale vero testamentum, quod ita ad falsam suggestionem conditum, nullius erit momenti, l. ult. ff. si qu. aliqu. test. prob. Hinc si testator falsis suggestionibus persuasus fuerit, e. gr. heredem ab intestato proximiorum esse moruum, vel gravi injuria affecisse testatorem, testamentum nihil valebit, sed ipso jure nullum erit, si talis causa & suggestio postea deprehendatur falsa Carpz. d. Constit. 8. Def. 8. & in Iurispr. Confist. l. 2. tit. 20. Def. 322. n. 14. Berlich. dict. Concl. 7. n. 30. Panschm. d. qu. 21. n. 115. &
- 55 116. Manz. d. Tr. tit. 3. qu. 4. n. 3. Dolus enim consensum excludit ab ea dispositione, ad quam quis fuit inductus, Carpz. P. 2. Const. 35. Defin.
- 56 2. n. 5. Et si merus testamentum reddit nullum, uti superius demonstratum, multo magis annullabitur, si ad dolosam & falsam suggestionem
- conditum fuit, quia contractus per metum initus stricto jure valet, contractus vero b. f. annullatur, si dolus ipsi causam dedit. Cum itaque causæ hereditariæ etiam b. f. esse censeatur, omnis sane dolus ibi exulare debet, Manz. d. tit. 3. qu. 2. n. 20.
- Porro pro ratione decidendi quoque facit, quod falsa causa dispositionem in testamento vitiet Panschm. d. quest. 21. n. 60. Francisc. Vol. 2. qu. 305. n. 10. maxime si illa sit finalis, Dn. Br. ad l. 72. ff. de cond. & demonstr. n. 6. Finalis vero dicitur, quæ aliquem ad disponendum inducit. Barbof. locupl. l. 3. C. 10. Ax. 12. Iam vero testator utiq. non disposuit, si falsa causa ipsi non suggesta fuisset. Et hæc conclusio adeo vera esse existimatur, ut non valeat testamentum, etiam si non suggerens, sed tertius quispiam heres institutus sit. Ubi enim dolus alterius est causa immediata acquisitionis, ei, cui acquisitum fuit nocet; Et sicuti dolus alterius alteri nocere non debet, l. eleganter 7. ff. de dol. mal. sic nec debet alteri afferre commodum. Manz. d. tit. 3. qu. 2. n. 7. Bartol. ad l. 3. ff. si qu. aliqu. test. prob. n. 6. Menoch. de A. I. Q. lib. 2. Cent. 4. c. 395. n. 12. Dn. Herold. in Obs. Consult. Decis. Forens. Obs. 31. n. 12. Panschm. d. qu. 21. n. 114. & 118. ubi hoc declarat, etiam si suggerens ab instituto corruptus non esset.
- Quid vero dicendum, si quis falsis & dolosis suggestionibus aliquem induxerit ad prius testamentum conditum revocandum, & se vel alium in posteriori instituendum? Resp. suggestiones hanc pariter inducere nullitatem, ita ut posterior habeatur ac si conditum non esset, per rationes superius allegatas. Panschm. d. lib. 2. qu. 2. n. 44. Ruin. l. 2. Conf. 2. n. 3. qui ex Angel. in L. non enim. ff. de inoff. test. refert, in facto contigisse, quod cum testator quidam instituisset nullos Religiosos heredes, postea vero ad falsam consanguineorum suggestionem, ac si Religiosi isti ob deperditos mores, hereditate essent indigni, mutasset voluntatem & aliud condidisset testamentum, posterior hæc dispositio invalida, prior vero haud revocata declarata fuerit. Hoc quoque multo magis procedit, si in priori testamento clausula derogatoria apposita fuerit, Faber. ad Cod. Lib. 6. tit. 15. Def. 1. n. 8. & 9.
- Nec obstat, quod communiter dicitur, permissum unicuique esse, testatorem blandis verbis & delinimentis inducere, non solum ut se instituat heredem, sed etiam ut revocet testamentum conditum in præjudicium institutorum, & commodum persuadentis. L. fin. si qu. aliqu. test. prob. Menoch. d. A. I. Q. de Cas. 395. n. 42. Zæf. ad ff. d. tit. n. f. vid. Disp. sub Præf. Dn. Præf. habita de jure blandit. c. 4. n. 15. & seqq. Peck. de test. Conjug. lib. 1. c. 9. n. 11. Cum licitum sit cuilibet utilitatem suam procurare, etiam si per consequentiam alteri noceat. arg. L. fluminum 24. §. fin. ff. de damn. infect. Panschm. d. quest. 21. n. 32. Vera enim hæc omnia sunt, si cum concurrentiis falsæ & dolosæ suggestiones haud concurrant. Manz. d. tit. 3. q. 3. n. 28. Berlich. P. 3. Concl. 7. n. 40. Reusner. l. 1. Conf. 17. num. 39. Pansch. n. 180. allegat. Disp. de jure blandit. c. 4. n. 8.
- Sed qualis actio dabitur heredibus in priori testamento institutis? Resp. quia ultimum conditum fuit, ipso jure est nullum, per jura supra allega-

legata, petitionem hereditatis ipsis competere, instituti in posteriori excipiant, testamentum prius per posterius esse revocatum, objectam hanc exceptionem per replicationem nullitatis resolvere, & bona hereditaria sibi vindicare possunt. Et hoc ipsum remedium quoque dabitur heredibus ab intestato, quibus ad falsam aliorum suggestionem hereditas per testamentum fuit ablata Manz. d. tit. 3. qu. 2. n. 28. & 29. & quest. 4. n. 20. Panschm. qu. 22. in fin.

Dum vero diximus priori casu competere petitionem hereditatis, intelligendum illud de casu, ubi prius testamentum extat. Si enim illud non amplius extat, sed a testatore falsis & dolosis suggestionibus circumvento laceratum vel combustum est, ita ut ex eo deprehendi non possit, quæ fuerit voluntas, vel si de ea aliunde quidem constet, testes tamen non possint recognoscere manus & sigilla, ita ut adiri ex eo hereditas non possit; hoc casu, quia petitio hereditatis locum habere non potest, cessante siquidem illius causa & fundamento, quod est jus hereditatis Struv. de petition. hered. th. 42. Laurerbach. in Colleg. theoretico pr. §. 7. tit. eod. intra biennium actio de dolo, postea vero actio in factum ad interesse dabitur, modo actor probare possit, se ex hac falsa suggestionem damnum sensisse Manz. d. qu. 4. n. 22.

Quæri hic etiam posset, si testamentum ad falsam & dolosam suggestionem conditum fuit, an hereditas pertineat ad Fiscum, an vero ad heredes ab intestato præteritos & exclusos? Sed quia jam hanc questionem superius tetigimus, ubi de meticulosa & importuna suggestionem egimus, illaque, quæ ibi fuere proposita, hic etiam applicari possint, itaque ad Dd. & rationes ibi adductas memet remitto, add. Panschm. d. qu. 22. n. 8. & seqq. ubi exactissime hanc questionem examinat & contra Fiscum disputat, conf. Peregrin. de Jur. Fisc. l. 2. tit. 6. n. 9 & seqq.

Non solum falsis & dolosis suggestionibus aliquem ad testamentum condendum, vel prius conditum revocandum compellimus, sed etiam multoties per falsas suggestiones testamenti conditionem impedimus. Menoch. d. A. J. Q. cas. 395. n. 41. Coll. Jur. Argent. tit. siqu. aliqu. test. th. 3. n. 4. Et hic notandum, quod ille, qui dum hereditatem legitimam ab intestato vel ex testamento capiat, testamentum conditum vel mutari dolosis & fraudulentis suggestionibus prohibet vel impedit, actiones haud concedi, sed hereditatem ad Fiscum pertinere l. 1. & l. 2. ff. siqu. aliqu. test. prob. Zæf. ad ff. tit. eod. n. 1. Menoch. d. A. J. Q. d. cas. 395. n. 13. Molin. d. J. & J. Tom. 1. Tr. 2. Disp. 175. Dn. Præses d. Success. declaratur, ut hoc iis non præjudicet, qui cum impediendo & suggerendo in pari gradu sunt. l. 2. §. 1. ff. d. tit. Sicut etiam tunc hæc prohibitio heredi instituto vel ab intestato haud nocet, quando tertius, qui hereditatem non capiat, per falsam causam suggestam testamenti confectio-nem vel mutationem impedit. Menoch. d. cas. 395. n. 20. vid. tamen Dn. Herold. d. Obs. 31. Qui refert casum, ubi hereditas Fisco ab Amplissima hac Facultate adjudicata fuit, licet non ipsi heredes instituti, sed tantum illorum pater, sub cujus erant potestate mutationem testamenti impedit.

Sed itaæ impunita malitia hujus dolosi & falso suggerentis? Minime, primo enim a iudice puniri potest, & quidem pœna arbitraria. Menoch. d. cas. 395. n. 3. Boscius in tract. Caus. Crim. tit. d. his q. aliqu. testor. prob. n. 1. & 6. Deinde qui se ex falsa hac & dolosa suggestionem damnum sensisse probare valet, ad se indemnem servandum agere potest actione doli vel in factum contra suggerentem, Carpz. p. 3. Const. 5. D. 10. Zæf. ad ff. d. tit. n. 2. Dd. Brunn. tit. eod. qu. 4. Hartm. Pist. p. 1. qu. 29. n. 2. Bertrand. vol. 2. p. 1. conf. 314. n. 3. Qui ita consulit in casu, ubi quis per fraudulentam suggestionem induxerat testatorem, ad se substituendum, cum alias hoc facturum non fuisset, actione scilicet de dolo esse experiendum ad refundenda damna iis, qui per ejusmodi falsam suggestionem fuerunt a successione exclusi. Quando enim dolo alterius alter quicquam amissum sit, æquum bonumve est, ut huic dolosus condemnatur. arg. l. 9. pr. ff. de dol. mal. Gothofred. ad l. 1. §. 5. ff. de magistrat. conveniend. Et huc collimant, quæ de civili disceptatione dicuntur in l. 1. C. si qu. aliqu. test. prob.

Præter dictam actionem etiam nonnulli Dd. læso concedunt actionem in duplum contra suggerentem, & quidem ita, ut in electione sit damnum passi, an velit agere actione in duplum, an vero uti reliquis legum beneficiis. Gloss. in l. 2. C. dict. tit. lit. R. Bartol. in l. 3. ff. eod. Bertrand. d. Conf. 314. n. 4. Menoch. d. Cas. 395. n. 28. Panschm. d. qu. 22. n. 5. & seqq. Peregrin. de Jure Fisc. l. 2. tit. 6. n. 8. Molin. d. J. & J. Tom. 1. tract. 2. Disp. 170. n. 9. Fundamentum hujus opinionis desumitur ex Novell. 134. cap. 3. Verum textus d. Nov. tantum loquitur de iudicibus tam civilibus, quam militaribus, & ita male ad quosvis alios privatos extenditur, Colleg. Jur. Argent. cit. tit. th. 9. in fin. Urgent quidem generalitatem verborum dictæ Constit. & quidem præcipue illa verba: aut alii cuilibet. Verum hæc generalis prohibitio fit iudicibus & eorum officialibus, & cuilibet alii, qui scilicet iudici operam suam hac in re præstiterit. Quæ explicatio etiam ex verbis sequentibus: si vero quidem hujusmodi odibilem rem in quolibet loco nostra Reipubl. præsumserit agere, aut ministrare, ei qui hoc præsumserit &c. Accedit quod in dubia interpretatione molliendæ potius pœnæ, quam exasperandæ sint. l. interpretatione. ff. de Pœn. vid. Fachin. Controv. Jur. l. 9. c. 4. Menoch. d. loc. n. 29.

Quæ hucusque dicta, ad solenne quidem testamentum & heredis institutionem directa sunt, bene tamen ob paritatem rationum applicari possunt ad Codicillos & legata. Dicendum itaque, quod casu testamentum heredisque institutio propter fraudulentam & meticulosam suggestionem non valet, eo casu nec valet codicillus vel legatum per suggestionem falsam & dolosam relictum. Idem dicendum de donatione mortis causa, quia & hæc ex libera voluntate donantis, non suggerentis, dependere debet, illaque ultimæ voluntati comparatur. Carpz. P. 3. Const. 5. Def. 9. n. 5. & seqq.

Celebris adhuc restat questio, an annullato testamento, quod ad falsam & meticulosam suggestionem conditum fuerat, legata in illo relictæ simul corruant, an vero debeantur? Respondendum videtur, legata simul annullari, (1.) propter l. 178. ff. de R. J. ubi dicitur: Principali causa non subsistente, nec ea quidem, quæ sequuntur,

- locum habere. (a.) propter regulam vulgaram; quod nemo pro parte testatus & intestatus decedere possit §. 5. *J. de hered. instit.* Ast contrarium verius, utile enim per inutile non debet vitari *C. 37. de R. J. in 6to* quæ regula etiam in testamentis procedit, arg. l. 2. *ff. de his qui proscrip. non habent.* & in illis quæ sunt separabilia & dividua, ut heredis institutio & legatorum relictio *Barbos. l. 19. C. 17. Ax. 11.* Debentur itaque, modo non pariter vitium aliquod propter suggestionem habeant, ut heredis institutio. *Carpz. Part. 3. Conf. 5. Def. 17.*
- 97 Ad rationes dubitandi responderetur, *d. l. 178. ff. de R. J.* non esse generalem, sed habere suas limitationes. Unde & *J. C. tus in d. l. verbum plerumque* addit; quas exceptiones vid. apud *Everh. Bronch. ad d. l. & communiter ibi Dd. Barbos. Lib. 44. C. 80. Ax. 1. in fin.* Ad secundam rationem dubitandi rehero, regulam illam intelligendam esse de initio, h. e. tempore mortis testatoris, non de eventu. Nam ex postfacto utique contingere potest, ut aliquis pro parte testatus & intestatus decedat. Et jure novo clarum exemplum habemus in querela inofficiosi testamenti ab ascendentibus vel descendantibus instituta, per quam heredis institutio quidem annullatur, legata tamen salva manent, *Nov. 115. c. 3. in fin. Struv. Exerc. 10. th. 22. Lauterb. in Colleg. Theoretico-Pract. l. 5. tit. 2. §. 21. Möller. Semestr. l. 3. c. 22. n. 4. & 5.* ubi hanc limitationem d. regulæ pulchram & celebrem esse dicit.
- Multoties etiam accidit, ut heredes ab intestato, cum vident, se ad hereditatem defuncti pervenire non posse ob testamentum conditum, in quo ipsi sunt præteriti, dolosis & fraudulentis suggestionibus, v. g. hereditatem non esse solvendo, heredes scriptos ad hereditatis abdicationem persuadeant. Hoc casu, si falsæ illæ ac dolosæ suggestiones probari possunt, contr. suggestionem de dolo agendum est. *l. 9. §. 1. ff. de dol. mal. & l. 7. C. eod. ibique Glos. Perez. ad Cod. d. tit. n. 11. Riminald. Conf. 34. n. 76.* ubi dicit, repudiationem hereditatis, factam ad falsam suggestionem ac si testamentum conditum esset, quod tamen non erat, per dictam actionem irritari. Sed hoc dubium videtur, cum doli actio sit subsidiaria, nec dari soleat, ubi aliud remedium superest. *Dn. Lauterb. in Colleg. Theoretico-Pract. tit. de dol. mal. §. 12. in fin.* Repudiatio vero, cui falsæ suggestiones causam dederunt, ipso jure nulla dicenda videtur, quia sicuti dolus causam doli contractui b. f. ipsum annullat, ita etiam dolus causam dans liberationi a contractu b. f. distractum impedit *Dn. Brunnem. ad L. 7. ff. d. tit. n. 4. Gail. L. 2. Obs. 2. n. 6.* & sic consequenter etiam repudiationem hereditatis dolosis suggestionibus elicitam, quia & petitio hereditatis (cui contraria est repudiatio) cum sit b. f. §. 28. *l. de action.* ipso jure nulla est, si quis ad hereditatem potendam dolose compulsus fuerit. Solutionem vid. apud *Gloss. in d. L. 7. C. de dol. mal. Dn. Brunn. ad eand. L. 7.*

CAPUT IV.

DE

JURE SUGGESTIONIS CIRCA PROCESSUM.

SUMMARIUM.

- R**atio connexionis. n. 1.
 Divisio Processus & methodus hujus Capitis. n. 2. 3. 4.
 An partes possint privatim judici arcana causæ suggerere? n. 5. -- 9.
 Testis, cui suggestum quid deponere debeat, nihil probat. n. 10. 11. 12.
 Quod declaratur. n. 13. 15.
 Cautela qua constare potest, an testi suggestio facta, an non? n. 16. 17.
 Copia interrogatoriorum auctori neque in Civilibus neque Criminalibus communicanda, ob metum suggestionis. n. 18. -- 20.
 Metus suggestionis facit, ne testes possint repeti, facta publicatione attestationum. n. 21. 22. 23.
 Advocatus non recte parti adversæ suggerit causæ arcana. n. 24. usque 28.
 Peccat Advocatus qui per varias suggestiones clientem instruit ad mentiendum. n. 29. 30. 31.
 Propter hunc suggestionis metum Advocatus removetur, quando pars respondet ad positiones. n. 32.
 Quod etiam procedit in Processu Criminali. n. 33. 34.
 Advocatus ne quidem in justissima causa suggestionibus dolosis uti valet. n. 35.
 Juxta, in quantum possibile est, a suggestionibus abstineat. n. 36.
 Confessio per suggestionem extorta nulla est, nec nocet consentienti, nec alii, etiamsi fuerit ratificata. n. 37. 38. 39.
- Quenam suggestiva interrogatoria sint, judici arbitrio committitur. n. 40.
 In dubio interrogatio dicitur suggestiva. n. 41.
 Suggestiva interrogatio quomodo definiatur a Franc. Bordon. n. 42.
 Cujus definitio continet tam apertas quam palliatis suggestiones. n. 43.
 Quæ suggestionis divisio a Tabor. rejicitur. n. 44.
 Alia definitio interrogationis suggestivæ redditur. n. 45.
 Inquisitio quoduplex sit? n. 46. -- 48.
 In generali inquisitione testes generaliter examinandi. n. 49. 50. 51.
 Specialis enim interrogatio hic inducit suggestionem quæ prohibita. n. 52. 53.
 Generali interrogatione uti debet iudex, ubi dubium est, an via sit aperta ad inquirendum generaliter vel specialiter. n. 54. 55.
 In examine generali si quis est gravatus, contra hunc specialis instituitur interrogatio sine vitio suggestionis. n. 56. 57.
 Quod verum est, etiamsi testis examinatur in tortura. n. 58. 59.
 Non tamen specialiter interrogandus de circumstantiis delicti, quia esset suggestio. n. 60. 61.
 Quod etiam procedit in Processu Civili. n. 62. 63.
 Nunquam rei, si ve sint complices ejusdem delicti, si ve non, in uno eodemque carcere haberi debent, ne alter alteri suggerat consilia. n. 64. -- 66. *Arti-*

Articuli inquisitionales non debent affirmative capi, ne reo suggerantur circumstantia. n. 67. 68. 69.
Quod ampliatur. n. 70. 71.

Articuli inquisitionales captiosi & equivoci suggestionem important interrogationem. n. 72. 73.

Suggestivum est interrogatorium, quando reus interrogatur de pecunia summa data homicide, ante habitam confessionem de mandato ad occidendum. n. 74.

Queritur, an iudex reum sine vitio suggestionis specialiter de hoc maleficio interrogare possit? n. 75. 84.

Iudex rerum examinans, caveat, ne exprimat circumstantias, quia esset suggestio. n. 85. 86.

Cujus asserti ratio redditur. n. 87.

Extensio hujus opinionis. n. 88.

Limitatio. n. 89. 90.

Suggestio etiam per interpositam personam prohibita est. n. 91. 92.

Iudex non debet inquisito prælegere depositiones testium, quia subest periculum, suggestionis. n. 93.

Suggestiva interrogatio dicitur, quando reus interrogatur de sociis. n. 94. usque n. 99.

Postquam præcedente Capite jus Suggestionis circa ultimas voluntates perlustravi, necessum est, ut tandem capite hoc quarto & ultimo jura Suggestionis circa Processum adjungam, utpote in quo Suggestionis materia præcipue suam utilitatem exhibet.

Notissimum est, Processum dividi in Civilem et Criminalem, huncque iterum in accusatorium & inquisitorium Jul. Clar. Rec. Sentent. L. 5. §. f. qu. 3. n. 1. Licet vero inter utrumque magna sit differentia, necin utroque eadem procedendi existat ratio, attamen in multis Processum Civilem & Criminalem parum aut nihil differre, negari vix potest. Unde & me non male facturum arbitror, si utrumque Processum, tam Civilem, quam Criminalem in hac suggestionis materia conjungam.

Personæ judicium Civile constituentes sunt vel actor, vel reus, vel iudex, vel Advocati, quæ personæ etiam suo modo in processu Criminali interveniunt. In his ergo personis, quousque suggestiones permixtæ sint aut prohibitæ, brevibus demonstrabo.

Et quidem statim primo loco queritur, an actor vel reus possint ædes judicis privatas adire, ipsique arcana causæ suggerere? Quod quidem affirmandum videtur, cum nihil intersit, an iudicem privatim informem, an vero in judicio. Parti enim adversæ nihil per hoc ademptum est, sed semper ipsi conceditur, merita suæ causæ deducere ac allegare, contrariisque respondere.

Verum suggestiones ac additiones illæ privatæ admodum periculosa esse solent parti adversæ, unde bene partibus inculcandum, ut ab illis abstineant. Rarissime enim iudex ita privatim informatus ac præoccupatus justam sententiam proferet. B. Ziegl. in Dicastic. Concl. 17. §. 5. & seqq. Præsumtio enim est eum, qui privatis hisce additionibus ac suggestionibus utitur, iudicem corrumpere velle. Hinc etiam jure Civili ambitus crimen incurrebat, qui iudicis ædes ingrediebatur ac causæ suæ arcana ipsi suggerebat L. mic. §. f. ff. d. L. Jul. ambit. quam legem in usum revocandam esse, contra perversum morem litigantium nostrorum, exoptat. Dn. Brunnem. in Pr. Civ. c. 1. n. f. Inter causas etiam recusationis refertur, si altera pars pro tribunali sedenti in Vol. VI. Disput. XV.

Quod interdum fallit, & interrogatio de Complicibus recte admittitur. n. 100.

Ubi tamen iterum iudex, in genere interroget, non vero in specie, de hoc vel illo, quia iterum esset suggestio. n. 101. - 103.

Quod cum limitatione aliqua declaratur. n. 104.

Inquisitus qui delictum aliquod confessus est, & super aliis examinatur, an interrogandus sit in specie? n. 105. - 107.

Interrogatio sub promissione impunitatis facta dicitur suggestiva & prohibetur. n. 108. - 112.

Iudex nunquam debet suggerere reo responsum. n. 113.

Hinc iudex caveat, ne reum respondentem, risu vel verbis interrumpat. n. 114.

Confrontatio est species suggestionis, unde iudex non facile ad eam perveniat. n. 115.

Confrontatio debet esse sicca, ne reus confiteatur per suggestionem. n. 116.

Conclusio. n. 117.

aurem secreto locuta sit. Zanger. de Exc. P. 2. c. 4. n. 20.

Postquam itaque actor legitime iudicem adiit, 10
arque actionem suam contra reum instituit, reus actioni propositæ respondere tenetur, qui si negative responderit, actori regulariter probatio injungitur. Cum vero sæpissime probatio fieri soleat per testes, suggestiones solent esse frequentes. Actores enim, qui haud conscientia suæ rationem habent, testes, quos producere volunt, prius privatim informant, ac ea, quæ forte ab eis responderi desiderant, suggerunt, ut ita postea in ipso examine pro ipsis deponant. Quales testes ob 12
subornationis & suggestionis vitium nihil probant, quod procedit, etiam si non ab actore, sed Advocato vel alio fuerint instructi. Farin. de testib. qu. 67. n. 283. & seqq. Mascard. de Probat. Vol. 4. Concl. 1365. n. 3. Boll. Prax. Crim. tit. de opposit. contr. test. n. 50. Hoc tamen intellige de suggestione dolosa, facta ad dicendum falsum. Alias 13
enim testis ad dicendam veritatem recte instruitur Farin. d. l. n. 287. Pro suggestionem vero malitiosa etiam habetur, quando actor falso & per mendacium testi examinando exponit, quid alii testes jam confessi sint, hoc enim eo fine facere præsumitur, ut testem inducat ad deponendum illud, quod deponi desiderat. Conf. Cap. 3. h. Disp. n. 53. & seqq. & bene hic applicantur, quæ scribit Franc. Bordon. in Pr. Crim. c. 68. n. 13. ex mendaciis interrogantis oriri suggestionem. Cautus itaque sit reus, ut, dum interrogatoria 16
ad articulos conficit, inter alia etiam generale aliquod interrogatorium ponat, quo experiri possit, an testi suggestio facta sit, an non; e. gr. Ob nicht Zeugen, was er aussagen und antworten solle, von Klagern oder sonst einem ware ins Ohr gesetzt, oder vorgesaget worden? Zæf. ad ff. tit. de testib. n. 13. in fin. D. Brun. in Proc. Civ. c. 20. n. 55. Scacc. de judic. L. 2. c. 8. n. 905. & seqq. Ira enim testis, qui 17
vi juramenti veritatem dicere, & salutis suæ memor esse debet, facile veritatem confitebitur.

Occasione horum interrogatoriorum etiam 18
observandum; illorum copiam actori non esse communicandam Gail. L. 1. O. 59. n. 6. Ant. Conc. R. C. t. inter. R. 2. n. 3. Pertinent enim interrogatoria ad defensionem rei, unde actor copia illorum accepta, facile testem instruere, eique responsum 19
nem

- nem suggerere valeret. Sigism. Scacc. *de judic.* d. c. 8. n. 874. & *seqq.* Hocque non solum verum est in Civilibus, sed etiam in Criminalibus, nam nec ibi copia interrogatoriorum Fisco vel accusatori edenda, ob eundem suggestionis & subornationis metum. Ant. Conciol. d. Res. 2. n. 1.
- 21 Obiter hic addo, quod facta attestatum publicatione testes nullo modo possint reperi, etiam si testes fuerint alii, & examen fieri debeat sive super iisdem, sive directo contrariis articulis. Farin. *tract. de test.* q. 66. n. 255. Franc. Bordon. *Pr. Crim. c.* 37. n. 4. Gail. *L. 1. Obs.* 105. n. 2. Ventur. de Valent. *Parth. litig. L. 1. c.* 15. n. 24. Dn. Præs. in *Introd. ad Prax.* t. 18. §. 17. Brunn.
- 22 *Proc. Civil. c.* 20. n. 83. Cujus prohibitionis ratio iterum est metus suggestionis ac instructionis. Pars enim postquam attestaciones testiū didicit, testes de novo examinandos facile instruere
- 23 valet. Sed hæc regula non est generalis, sed in quibusdam casibus fallit, quod vid. apud Gail. & Farin. *cit. l.* Hæc quoad personam actoris & rei.
- 24 Ratione Advocatorum etiam suggestiones prohibita non raro contingunt. Sic Advocatus caveat, ne postquam arcana causæ a cliente audivit, ea parti adversæ suggerat. Clientes enim omnem spem ad fiduciam in Advocatum collocant, ipsique intima causæ revelant. Contra justitiam itaque peccaret Advocatus, si illa secreta clientis inimico & adversario proderet ac suggeret, vid. *supr. Cap. 1. h. Disput. n.* 29. & *seqq.*
- 27 Hinc etiam Jure Civili ejusmodi Advocati prævaricationis crimen incurrunt, ipsisque pœna aliqua arbitraria carceris vel relegationis dictari potest. *L. 1. in fin. ff. de Prævaricat.* sicuti advocandi quoque officio privandi sunt. Dn. Mevius
- 28 *ad Jus Lubec. P. 5. tit. 2. art. 7.* Et ex hoc etiam sequitur, quod Advocatus cognitis unius partis secretis, alteri parti patrocinium præstare non valeat, quia semper suggestionis timor adest. vid.
- 29 Dn. Præs. *de Credent. revelat. c. 2. n.* 30. Advocatorum etiam quorundam pessimus est mos, ut, ubi vident, reum vel inquisitum injustam fovere causam, eum per varias suggestiones ad mentium & veritatem tacendam instruant. Qui Advocati non solum quoad Deum, sed & quoad mundum quam maxime peccant. Boff. *Pract. Crim. tit. de respons. reor. n.* 18. Unde & Gloss. in *c. 1. in verb. Statuimus. d. confess. in 6to.* Advocatos reprehendit, qui suggerunt partibus & dicunt: *si hoc confitearis, causam perdes,* & non dicunt: *si hoc negaveris, animam perdes.* Quapropter malitiam hanc diabolicam pœnam mereri arbitriam, docet Carpz. *Part. 1. C. 1. defin.* 20.
- 32 Et inde est, quod ad hæc suggestiones excludendas, Advocatus, cum pars ad positiones respondet, non solum a consilio, sed etiam a conspectu ipsius respondentis arcendus sit, prout ex Mascardo *de Probat.* hoc tradit Sigism. Scacc. *de Judic. l. 2. c. 7. n.* 553. Et hoc etiam in Processu inquisitorio observatur, ubi inquisitus ad articulos inquisitionales respondere tenetur remoto Advocato, quia hic facile inquisito consilia mentiendi suggerere posset. Dn. Brunnem.
- 34 in *Pr. Inquis. d. c. 8. membr. 1. n.* 74. Idem obtinet, si reus in tortura examinandus. Jul. Clar. *d. §. f. qu. 64. n.* 35. Conf. Dn. Brunnem. *d. c. 8. membr. 3. n.* 22. & *seqq.* qui judicem informat, qua ratione ejusmodi fraudulentæ & Reipublicæ admodum nocivæ Advocatorum Suggestiones declinare & avertere valeat.

Ultimo tandem adhuc quæritur, an Advocatus, si adversarius injustam fover causam, suggestionibus uti possit, & clienti suo suggerere, ut falsis utatur probationibus, vel ut juramentum falsum præstet? Quod negatur. Boff. *Pract. Crim. tit. de respons. reor. n. f.* Adest enim hic dolus maximus, quo uti Advocatus ne quidem in justissima causa debet, prout hoc late deductum in *Disputat. Dn. Præs. de Conf. Advocat. cap. 3.*

Pergo nunc ad suggestiones, quæ sunt a judicibus, demonstraturus, quousque illæ permittantur, vel interdiciantur. Et primum pro regula tenendum, judicem, in quantum possibile est, a suggestionibus abstinere debere, præcipue in Processu Inquisitorio *arg. L. 1. §. 21. ff. de question. Const. Crim. art. 31.* Scacc. *de sentent. & rejudic. Gloss. 14. qu. 21. n.* 70. Barbof. *locuplet. l. 17. c. 67.* Dn. Brunnem. in *Process. Inquis. c. 8. membr. 1. n.* 38. in *fin.* Farinac. *qu. 83. n.* 84. Non solum enim confessio per suggestionem elicitæ nullius est momenti. Gabr. Alvar. de Velasc. *de judic. perfect. Rubr. 14. annot. 14. n.* 28. Sigism. Scacc. *de judic. L. 1. c. 86. n. 7. v. qui est valde turbatus;* sed etiam totus Processus annullatur per suggestionem. Anton. Conciol. *Resol. Crim. tit. Confessio. Res. 11. n. 3.* ita ut confessio nec confitentis, nec alii noceat, etiam si fuerit ratificata. Conciol. *d. Res. 11. n. 2.* Farin. *d. qu. 83. n. 49.* Just. Oldekop. *Observ. Crim. Pract. tit. 4. Observ. 10. n. fin.* Quænam vero interrogatoria suggestiva sint, communiter judicis arbitrio committunt. Farinac. *d. qu. 83. n. 89.* Conciol. *d. Res. 11. n. 8.* non tamen illius, qui examinavit, ne alias in propria causa judicet. Franciscus Bordon. *pr. crim. c. 68. n. f.* ubi addit, in dubio in interrogationem dicendam esse suggestivam, cum in dubiis reo sit favendum. Et in specie interrogative Bordon. *d. c. 68. n. 1.* suggestivam interrogationem dicit esse illam, quæ modo sit indebita reo aut testi, ad captandam malitiose ejus responsionem. Quæ descriptio cum admodum sit generalis, etiam suggestiones palliatis in se esse apertam, aliam palliatam, *supra c. 1. n. 26. & seqq.* e Scacc. & Farinac. monuimus. Quamquam hanc suggestionis divisionem perperam rejiciat. Tabor. *d. Confront. disp. 1. §. 14.* eamque commentum otiosorum ingeniorum dicitur. Alias proprie suggestiva interrogatio dicitur, quando judex in specie interrogat reum, v. gr. an occiderit Titium, aut commiserit hoc factum. Anton. Conciol. *Res. Crim. de res. 11. n. 4.* Boff. *tit. d. Exam. reor. n. 12.* ubi hanc definitionem declarat exemplo Notarii, specialiter & per suggestionem interrogantis testatorem, de quo vid. *cap. preced. n. 7.* Potissimas itaque processus, præcipue vero inquisitorii, partes percurram, propositurus, quando & in quibus locis suggestiones vitandæ sint.

Inquisitio vero communiter dividitur in generalem & specialem. Generalis est, quæ instituitur ad id ut sciatur, quæ famæ origo, & an delictum vere sit commissum, & a quo præsumtive vel probabiliter commissum. Specialis vero instituitur contra certam personam, ob delictum, de quo, quod commissum sit, ex generali inquisitione apparet. Dn. Brunn. *proc. inquis. c. 2. n. 2.* Carpz. *pr. crim. p. 2. q. 107. n. 10. & 11.*

49 In generali itaque inquisitione cum de ipso delicto quaeratur, & generaliter tantum de ipsius autore judex ante omnia monendus est, ut testes examinet generaliter, & interrogatoria non dirigat in certam personam, sed indefinite in autorem delicti. Sic non debet in inquisitione generali interrogare testem, *ob nicht Cajus den Todschlag oder Diebstahl begangen?* sed generaliter, *ob er nicht wisse wer solches gethan?* Non enim a judice, sed a teste nominandus est delinquens, interrogatione vero speciali judex malefactorum non inquireret, sed ostenderet. Franc. Bordon. *Pract. Crim. cap. 48. n. 26.* Effet ergo specialis illa interrogatio suggestiva, quæ in jure prohibita, juxta l. 1. §. 21. ff. de quest. ubi ait JCtus: qui questionem habiturus est, non debet specialiter interrogare, an Lucius Titius homicidium fecerit, sed generaliter quis id fecerit, alterum enim magis suggerentis, quam interrogantis videtur. Jul. Clar. *recept. sent. l. 5. §. f. q. 5. n. 5. vers. practica igitur.* Dn. Brunnem. in *process. inquisit. c. 7. §. 31.* Franc. Bordon. d. c. 78. n. 3. & c. 3. sect. 2. n. 10. Just. Oldekop. *Observ. Crimin. Pract. tit. 4. obs. 10. n. 5.* Farin. *tract. d. testibus. qu. 79. n. 78.* ubi loquitur de teste, qui in tortura interrogatur. conf. Sigism. Scacc. d. jud. l. 1. c. 86. n. 7. *vers. & maxime extende,* qui hoc ampliat in teste, qui in carcere examinatur, ut scilicet non in specie sit interrogandus de certo individuo, sed generaliter. Ulterius etiam dicta conclusio ampliatur a Scacc. d. n. 27. *vers. quam amplia.* in casu, ubi dubium est, an via sit aperta ad inquirendum generaliter, vel specialiter, quia in dubio cautior via est eligenda. Cautior vero via est, si interroget judex in genere. Quando enim aperta est via ad inquisitionem specialem, non est prohibita interrogatio in genere, prout prohibita est interrogatio specialis, quando inquisitio est generalis. Quod si itaque in examine hoc generali aliquis præsumtionibus, quod delictum commiserit, sit gravatus, ulterius judex specialem inquisitionem instituit contra gravatum. Et hic notandum, quod judex sine vitio suggestionis testem specialiter de certa persona, quæ gravata est, interrogare valeat. Jul. Clar. *recept. sent. l. 5. §. f. qu. 5. n. 5.* Farin. d. testib. d. qu. 79. n. 79. Franc. Bordon. *Pr. Crim. c. 68. n. 3.* quod procedit, non solum si testis examinatur de plano in simplici examine, sed etiam quando examinatur in tortura, Scacc. d. c. 86. n. 15. ubi dicit: quod hæc conclusio procedat de jure; de consuetudine vero semper testem prius in genere, deinde in specie interrogandum esse, cujus practicæ tres dat rationes, quas vide. Conf. Franc. Bordon. c. 48. n. 26.

60 Observandum tamen, quod licet, quando testis examinatur contra certam personam, possit in specie de illa persona interrogari, non tamen possit nominatim interrogari de modo & circumstantiis delicti, v. g. *Ob er ihn nicht auf den Kopf geschlagen?* *Ob er ihn nicht 2. oder 3. mahl geschlagen?* &c. hoc enim prohibitum est, & esset suggestio, arg. l. 1. §. 21. ff. de quest. Generaliter itaque judex interrogabit, non expressis circumstantiis, v. g. *wohin er ihn geschlagen?* *wie oft?* &c. conf. Farin. d. test. d. quest. 79. n. 80. Et hæc circumstantiarum suggestio non solum vitanda est, quando testis examinatur super causa criminali, sed etiam quando examinatur super

per causa civili. Sic indefinito existente interrogatorio, examinatore specialiter interrogare non debet, quia sic instrueret testem, & quid testari debeat, in favorem unius vel alterius partis suggereret. Dn. Brunn. in *proc. civil. c. 20. n. 68.* & ab hoc alleg. Ruland. d. Commissar.

Antequam ad ipsius rei examen progredior, 64 in antecessum adhuc moneo, quod nunquam rei, contra quos specialiter procedendum, in eodem, sed distinctis carceribus segregari debeant. Daretur enim alias ipsis occasio sibi invicem suggerendi consilia vel ad fugiendum, vel ad delictum commissum negandum. Quæ ratio etiam a Carolo V. Imperat. in *Const. crim. art. 11.* redditur, ibi: *Damit sie sich unwahrhaftiger Sachen mit einander nicht vereinigen, oder wie sie ihre That beschönern wollen, unterreden mögen.* Et quanquam 96 Imperator in *alleg. art. 11.* loquatur de reis & complicitibus ejusdem facti seu delicti; Attamen cautius procedet judex, ut, si fieri potest, separatim custodiri faciat delinquentes, etiam si non sint ejusdem delicti complices. Alter enim altero versutior est, unde ille hunc per suggestiones suas facile instruere valeret ad negandum delictum, quod forte alias confessus fuisset.

Jam ad ipsum examen rei seu inquisiti. Et 67 quidem statim ab initio ratione formæ articulorum inquisitionalium disquiritur, an illi ut positiones affirmative concipi debeant, e. g. *wahr das inquisit an diese Sache schuldig.* Quod negatur. Quanquam enim affirmative articuli inquisitionales a multis iudicibus formari soleant, attamen hoc minus recte fieri docet Dn. Brunnem. *proc. inquisit. c. 8. membr. 1. n. 34.* Præter illud 69 enim, quod magna sit differentia inter positiones a parte propositas, & inter articulos inquisitionales, quibus judex in veritatem inquirat, etiam accedit, quod si articuli affirmative formarentur, reo circumstantiæ suggererentur, quod est contra art. 56. *Const. Crim.* cujus articuli rubrum ita sonat: *keinen Gefangenen die Umstände der Missethat vorzusagen.* Hocq; a D. Brunemannio d. n. 34. in tantum ampliatur, ut procedat, etiam si constet de veritate delicti admissi, quia alia occurrere possunt, de quibus reus interrogandus, v. g. an reus alia etiam furta vel homicidia commiserit? Ubi judex non recte formaret articulum, si interrogaret, *wahr das inquisit noch andere Diebereyen oder Mordthaten begangen.* Et hoc ulterius etiam extendit D. Brunn. 71 ad Processum accusatorium, si enim accusator super circumstantiis positiones affirmativas facit, tunc suggerit responsum reo, a qua tamen suggestionem abstinendum esse supra monuimus, cum reus, qui forte vitæ pertæsus omnes articulos affirmare possit. Sed de his circumstantiarum suggestionibus pluribus infra.

Porro ratione articulorum inquisitionalium 72 etiam requiritur, ut illi sint clari & distincti. Si enim sint obscuri, captiosi ac æquivoci, ut 73 responsio illis sine cavillationibus & deceptionibus adæquari non possit, suggestivam important interrogationem, quæ nulla est, cum ea quaeratur deceptio in respondente. Franc. Bordon. *pr. crim. c. 68. n. 12.* Hinc suggestivum 47 interrogatorium esset, si judex reum interrogaret de pecuniæ summa data homicidæ, ante habitam confessionem de mandato ad occidendum, prout hoc tradit Vermigl. *Conf. 80. n. 2. & 3.*

- 75 Quæritur etiam hic, an iudex in examine rei possit sine vitio suggestionis specialiter interrogare de hoc maleficio? Multi sunt, qui hoc negant, & generalem tantum interrogationem admittunt, e. g. an maleficio commiserit? ob textum in famosa l. 1. §. 21. ff. d. quæst. ubi specialis interrogatio interdicitur, cum potius sit suggestio, quam interrogatio. Et inter hos etiam est Bossius & Chartar. citati a D. Brunn. in proc. inquisit. c. 8. membr. 2. n. 37. quibus adde Anton. Conciol. Ref. crim. tit. confessio Ref. 11. n. 4. Verum d. L. non loqui de reo examinando, sed teste, docet D. Brunnemann.
- 78 d. loc. Distinguit circa hanc quæstionem Scacc. d. jud. alleg. c. 86. n. 38. & 40. an præcedant indicia sufficientia ad interrogandum specialiter, an vero non? Illo casu dicit, non dubium esse, quin liceat. Quam distinctionem etiam ipse Bossius supr. allegatus in contrarium in Pract. crim. tit. de exam. reor. n. 12. agnoscere videtur.
- 80 Conf. Farin. qu. 84. n. 79. Et hoc usu etiam observari tradit Jul. Clar. recept. sent. l. 5. §. f. qu. 45. n. 11. allegans in hunc finem Casonem.
- 81 Verum contra hanc Casonis opinionem disputat Scacc. d. c. 86. n. 39. quanquam hic ipse, secundum supr. propositam distinctionem, specialem concedat interrogationem, illud enim de jure verum esse, non vero de consuetudine asserit. De consuetudine enim semper prius in genere interrogandum esse reum statuit, licet ipse in fine §. 39. fateatur, post interrogationes generales paulatim deveniendum esse ad specialem interrogationem de ipso delicto, conf. Franc.
- 83 Bordon. pr. crim. c. 48. n. 26. Non inutilis tamen erit doctrina Scacciae, si reus est versutior, ibi enim altius repetendum examen, & ab iis exordium faciendum, quæ sunt generaliora. Ita enim facile reum constringet, & ab ipso confessionem extorquebit. Nam reus, cum primum audit interrogationem super delicto, seu proxima ipsius circumstantia, statim animadvertit, intentionem iudicis, a qua, tanquam cognita, facilius esse cavere poterit, quod non erit, si prius fuerit interrogatus in genere & per circuitum. Dn. Brunn. d. c. 8. membr. 1. n. 45. qui n. 37. hunc procedendi modum iudici etiam inculcat, si reus tædio vitæ mortem non adeo reformidare videtur.
- 85 Cum vero reus accuratissime etiam super omnibus delicti circumstantiis examinari debeat, quia ex illis apparet pœnæ modus & rei defensio Dn. Brunn. d. membr. 1. n. 5. iudex iterum caveat; ne exprimat circumstantias, alias inquisitio circumstantias suggereret, prout hoc etiam supra de examine testium monuimus. Sic quærere non debet, ob er ihn mit einen Degen verletzet? ob er ihn auf den Kopff gehauen?
- 86 esset enim hæc quæstio suggestiva, quæ prohibetur. const. crimin. art. 56 Dn. Brunnem. d. membr. 1. n. 38. Conciol. Ref. crim. tit. confessio Ref. 11. n. 5. Scacc. d. judic. l. 1. c. 86. n. 40. Franc.
- 87 Bordon. c. 68. n. 17. Far. qu. 83. n. 90. Si enim reus est homo simplex, vel meticulosus, omnes affirmabit circumstantias, prout circumstantiæ ei sunt suggestæ, unde iudex tali interrogatione suggestiva vix veritatem indagabit.
- 88 Dn. Brunnem. d. n. 40. in fin. Et hæc conclusio non solum procedit, si reus examinatur extra torturam, sed etiam quando in ipsa tor-

tura interrogatur. Majus enim hic subest periculum, ne metu tormentorum omnes affirmet circumstantias, prout illæ a iudice suggeruntur. Dn. Brunnemann. d. c. 8. membr. 5. n. 5. Limitat tamen hanc sententiam Dn. Brunn. d. c. 8. membr. 1. n. 43. & n. 34. in fin. in casu, ubi reus omnia negat, & se de delicto nihil scire simulat. Hoc enim casu sine vitio suggestionis iudicem specialiter interrogare, atque unam vel alteram delicti circumstantiam exprimere posse, statuit, quia hic interrogandi modus sæpe commovere solet reum, ut, cum crimen suum detectum videt, ultro fateatur.

Illud tamen adhuc hoc loco observandum, quod iudices ad veritatem indagandam, interdum soleant in secretis carceribus aliquem supponere, qui plene de delicto informatus instruit & suggerit incarcerato reo factum cum omnibus suis qualitatibus, ut postea in tormentis vi ac dolore eorum oppressus, illud ita fateatur, prout ipsi fuit suggestum. Verum quia talis confessio iterum per suggestionem fuit extorta, confitenti non nocet. Unde iudicem ab hac cautela abstinere debere, monet Farin. qu. 83. n. 93. quia suggestio etiam prohibita est per interpositam personam.

Ulterius etiam Farin. d. qu. 83. n. 90. docet, iudicem inquisito dicta & depositiones testium prælegere non debere, quia & hic subest periculum suggestionis. Reus enim qui est meticulosus vel tertius facile ita respondebit, prout testes deposuisse audit. Conf. Franc. Bord. P. Crim. c. 68. n. 15.

Interrogandus quoque est reus tantum de propria, non vero de complicitibus, alias interrogatio dicitur suggestiva. Franc. Bordon. d. c. 68. n. 6. Regulariter enim reus interrogari non de sociis L. f. C. de accus. l. 16. §. 1. ff. de quæst. c. 1. X. de Confess. Menoch. de A. I. Q. l. 2. cas. 474. n. 8. Obstat quidem videtur L. Divus 96 Hadrianus 6. ff. de custod. & exhib. reor. l. 17. ff. ad SCt. Syllan. l. 29. in fin. ff. de pœn. l. 1. c. de falsi monet. l. 10. C. de fer. L. f. ff. an exhib. Verum ad hanc antinomiali removendam Wissenb. tit. de quæst. th. 10. cum Ant. Matth. de Crim. l. 48. tit. 16. n. 75. distinguit inter reum sponte confessum, & non confessum, sed confictum & priorem non esse interrogandum de sociis, bene tamen posteriori censeat, add. Zesl. ad ff. tit. de quæst. n. 55. & 56. qui cum Cujacio eandem distinctionem agnoscit. Aliter sentit Boss. Tract. Crim. tit. de Indic. & consil. aut. tort. n. 145. distinctionem scilicet esse faciendam, inter qualitatem personarum & delictorum. Quod si enim reus persona sit servilis conditionis, interrogatio de sociis recte instituitur. Idem erit dicendum, si delictum ita est comparatum, ut sine sociis vix committi possit. art. 31. C. Crim. ibi: der in seiner Missethat Helfer gehabt. vid. Carpz. Pr. Crim. P. 3. quæst. 121. n. 24. Tabor. de tort. ad d. art. Quæ Bossii distinctio non rejicienda, quanquam etiam pro conciliatione harum LL. recte dicantur, in L. fin. C. de accus. & reliquis LL. consentientibus haberi regulam, in LL. vero contrariis exceptionem, ratione criminum quorundam exorbitantium Gloss. in l. 29. ff. de pœn. Farinac. quæst. 43. n. 56. Conf. Bordon. c. 10. sect. 15. Quanam vero delicta illa excepta sint, vid. apud Farinac. d. loc. n. 59. & seqq. Gabr. Alvarez de Velasc.

Velasco. de judic. perfect. Rubr. 14. Annot. 5. n. 73. Colleg. Jurid. Arg. tit. de qu. th. 13. n. 16. Perez. ad Cod. tit. cod. n. 15. In his itaque delictis exceptis, iudex reum sine suggestionis vitio de sociis, imo sub peccati mortalis reatu, interrogare potest ac debet, reusque interrogatus sub dicta peccati obligatione socios eorumque consilia revelare ac suggerere cogitur. Gabr. Alvar. de Velasco. d. Annot. 5. n. 72. & 75. Zæf. ad ff. d. loc. n. 57.

Caveat tamen Iudex, ne & hic in casibus exceptis, & ubi de sociis interrogat, speciali utatur interrogatione. Si enim de certo individuo s. certa persona quærere vellet, adhuc suggereret potius, quam interrogaret, & sic processus nullus esset, atque sua careret efficacia a. l. 1. §. 21. de quest. Brunnem. Process. Inqu. c. 8. membr. 5. n. 64. Boff. Pract. Crim. tit. de indic. & confid. ant. tort. n. 47. & seqq. Farinac. qu. 43. n. 132. & quest. 83. n. 87. Menoch. de A. I. Q. Lib. 2. cas. 474. n. 53. Francisc. Bordon. c. 68. n. 11. Scacc. de judic. l. 1. c. 86. n. 14. in fin. & n. 7. circa init. Anton. Conciol. Ref. Crim. tit. Confessio. Ref. 11. n. 7. & tit. Reus. Ref. 9. n. 9. & tit. socius criminis Ref. 1. n. 5. Zæf. ad ff. tit. de quest. n. 59. Dn. Præf. in Disput. de Saccular. c. 4. n. 33. Et hoc ipsum quoque Carolus V. in Constit. Crim. requirit, & suggestionem hanc omnimodo interdicat. Ita enim in §. 31. d. Constit. dicit: *Daß dem Sager die beklagte (alii loquuntur besagte) Person in der Marter mit Nahmen nicht fürgehalten, und also auff dieselbige Person sonderlich nicht gefragt oder gemartert worden sey, sondern daß Er in gemein gefragt, wer ihm zu seiner Missethat geholfen, den Besagten von Ihm selbst bedacht und benannt habe.* Verum & hoc non sine limitatione aliqua intelligendum. Quid si enim contra certam personam, v. gr. Cajum indicia quædam particularia adsint, illum delicti extitisse socium? Sane tunc iudex specialiter reum interrogare potest, ob nicht Cajus zu diesem Diebstahl oder Mordthat geholfen? Gloss. ad L. fin. C. de accus. ad verb. scrutetur aliena Matth. Steph. ad Constitut. Crimin. d. art. 31. n. 2. Fab. ad Cod. l. 9. tit. 21. D. 7. n. 3. in fin. Jul. Clar. l. 5. §. fin. qu. 21. n. 4. circa fin. Anton. Conciol. d. Ref. 11. n. 8. Farinac. d. qu. 43. n. 132. in fin. qui tamen n. seqq. ad hoc indicia requirit legitima, unde monet, nunquam specialem esse faciendam interrogationem de certa persona, nisi indicia contra eum nimis sint manifesta, ut ex iis fere constet, eum esse delinquentem vel hujus socium.

Ex dictis simul deciditur *Questio*, An reus, qui delictum aliquod confessus est, super aliis delictis interrogatur (quod quandoque fieri potest, Dn. Brunnem. Process. Inquisit. c. 8. membr. 5. n. 63.) in specie de aliquo delicto, de quo non constat, examinandus sit? Quod propter suggestionis periculum negat Ant. Conciol. tit. Reus Ref. 9. n. 9. Verum repetendam hic esse limitationem superius traditam puro, modo de hoc vel illo delicto non adsint indicia quædam particularia.

Pro suggestiva interrogatione etiam habetur, quando iudex reum interrogat sub promissione impunitatis Franc. Bordon. d. c. 68. n. 14. Reus enim tali promissione, ob liberationis suæ spem facile inducitur a iudice ad confitendum delictum, quod tamen ab ipso haud commissum est. Covarruv. Lib. 1. Var. ref. c. 1. n. 16. Unde iudex omnimodo a tali interrogatione abstineat, cum responsio rei tanquam suggestiva ei quoad condemnationem haud præjudicet, imo nulla sit & revocabilis. Gomez. Var. Ref. T. 3. c. 12. n. 6. Boff. tit. de exam. reor. n. 17. Farinac. qu. 81. n. 76. Et quanquam allegati a Jul. Clar. l. 5. §. fin. qu. 55. n. 8. & 9. ejusmodi interrogationem approbent, ex eo, quod iudici ad eruendam veritatem aliquid simulare permissum sit, adducto exemplo Salomonis. Attamen aliud est simulare & fingere, quod Salomon fecit; aliud vero est mentiri ac reum fraude & mendacio illaqueare, quod cuilibet viro bono, præsertim vero iudici, qui dexterrimus esse debet, summopere vitandum. Scacc. de Judic. Lib. 1. c. 86. n. 35. vers. hancque contr. Jul. Clar. d. n. 8. vers. sed certe hæc opinio. Dn. Brunnem. c. 8. membr. 1. n. 54.

Denique iudex caveat, ne in ipso examine vel in Fisci vel Inquisiti præjudicium, suggestionibus utatur, quod fit, si facta interrogatione, reum prævenit in responsione, quasi subtiliter ei indicando modum & viam respondendi & evadendi, quod genus suggestionis valde perniciosum, ut tradit Scacc. de Judic. c. 86. n. 41. Et ex hoc etiam fluit, quod docet Dn. Brunnem. d. cap. 8. membr. 1. n. 85. Iudicem cavere debere, ne reum interrogatoriis respondentem, verbis vel risu interrumpat, quia illa interruptio remoratur reum fatentem, & quandoque revocandi & recipiendi se a cæpta confessione suggerit consilium.

Ultimo tandem loco de confrontatione notandum, quod iudex facilis esse non debeat in deveniendo ad eam. Est enim illa odiosa species suggestionis & ad Processus substantiam non pertinens. Zang. de quest. s. tortur. reor. c. 2. n. 50. Conciol. Ref. crim. tit. Confrontatio. Ref. 1. n. 8. Unde iudex bene arbitrabitur, num ea uti debeat. Quod si itaque tandem ad eam perveniat, illa sicca esse debet, h. e. testes qualitates delicti & circumstantias referre non debent, sed solum substantialia, ne reus instructus super dictis qualitatibus, in tortura dicatur fateri per suggestionem. Farinac. qu. 72. n. 139. Franc. Bordon. Pr. Crim. c. 83. n. 9. ubi dicit: hujusmodi restrictionem & siccam confrontationem Guazin. & sibi parum placere.

Ex hoc in præsens de jure suggestionis adduxisse sufficiat. Possem quidem adhuc præsentis loco, cum Processus Inquisitorius circa delicta versatur, quædam de jure suggestionis circa delicta in medium proferre, e. gr. de servo corrupto, item ingenere de suggestionem consilii ad delinquendum. Verum temporis angustia ulteriorem progressum prohibet. Interim ut B. L. præsentem laborem æquo ac benevolò affectu accipiat, est, quod rogo.